3 1761 08122693 8

G igante, Sivino
Libri del cancelliere

DB
879
F5G48
v.1
pt.2

MONUMENTI DI STORIA FIUMANA

III

LIBRI DEL CANCELLIERE

VOLUME PRIMO

CANCELLIERE ANTONIO DI FRANCESCO DE RENO

PARTE SECONDA

PUBBLICA PER CURA DELLA SOCIETÀ DI STUDI FIUMANI

SILVINO GIGANTE

FIUME
Stabilimento Tipografico de „La Vedetta d'Italia" S. A
1931 - Anno X

MONUMENTI DI STORIA FIUMANA

III

LIBRI DEL CANCELLIERE

VOLUME PRIMO

CANCELLIERE ANTONIO DI FRANCESCO DE RENO

PARTE SECONDA

PUBBLICA PER CURA DELLA SOCIETÀ DI STUDI FIUMANI

SILVINO GIGANTE

FIUME
STABILIMENTO TIPOGRAFICO DE «LA VEDETTA D'ITALIA» S. A.
1932 - X

DB
879
F5G48
v.1
pt.2



Riprendo la pubblicazione dei „Libri del Cancelliere“ **(Libri civilium sive notificarum)** *incominciata, per conto della cessata Deputazione Fiumana di Storia Patria, nell'anno 1912 e poi dovuta interrompere.*

Le pagine che seguono sono la continuazione del libro del cancelliere Antonio di Francesco de Reno, ch'è, com'è noto il più antico.

SILVINO GIGANTE

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/p2libridelcancel01giga

Anno 1445

PRO ADAM DE FIRMO CONTRA DOMINAM NASTAM

IN Christi nomine amen Anno natiuitatis eiusdem Millesimo quadrigentesimo quadragessimo quinto Indictione octaua Die trigessimo mensis decembris In terra Fluminis Sub volta ante domum Rafaelis de Fossambruno presentibus Iudice Quirino Spinçich presbytero Gaspare cresolich ambobus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique domina Nasta uxor quondam Iudicis donati caleli habitatrix dicte terre Fluminis sponte libere ex certa scientia non per errorem omni exceptione iuris uel facti remota per se suosque heredes & successores fuit contenta & confessa se iuste teneri & dare debere Ser Ade Antonij de Firmo habitatori dicte terre Fluminis presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos centum et viginti tres boni auri & iusti ponderis Et hoc pro oleo habito a dicto creditore Quam quidem pecunie quantitatem dare & solvere promisit dicta debitrix prefato creditori usque per totum mensem Marcij proxime futurum Sub pena quarti Et ad maiorem cautelam prefati creditoris dicta debitrix eidem obligauit & pro speciali pignere designauit domum suam liberam & francham iusta plateam in qua ad presens habitat magister Tomas barbitonsor Pena autem suprascripta soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta.

PRO CHIRINO SPINÇIC CONTRA JUDICEM MATEUM

Die XXX mensis decembris In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Iudice Vito matronich Iudice Vito testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iudex Mateus quondam Ser donati per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Chirino Spin-

çich de Castua presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos quinque auri Et hoc pro quadam plegiaria seu fideiussione facta dicto Chirino pro paulo Frauiçich mercario quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus Iudex Mateus prefato Chirino usque ad festum Sce Malgarite proxime futurum sub pena quarti etc.*)

PRO PREDICTO CONTRA IUDICEM IURCHUM

Vltrascriptis die loco ac testibus Iudex Iurco de dreuenico per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Chirino spinçicch presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus libras centum et decem paruorum Et hoc pro quadam plegiaria seu fideiussione facta pro Paulo Frauiçich mercario quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus Iudex Iurcho prefato Chirino usque ad festum Sce Malgarite proxime futurum Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta**).

PRO PREDICTO CONTRA PAULUM FRAUIÇICH

Vltrascriptis die loco ac testibus Paulus Frauiçich mercarius habitator terre Fluminis predicte sponte libere ex certa scientia non per errorem omni exceptione iuris uel facti remota per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Chirino spinçich de Castua presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus libras octoaginta duas & solidos decem paruorum Et hoc pro quindecim corijs bouinis habitis a dicto Chirino Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori usque ad festum Sce Malgarite proxime futurum Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bono-

*) Cancellato, con in margine la nota: «1445 die XXVIIII septembris cancellatum fuit presens Instrumentum debiti de voluntate creditoris presentibus Rafaele de Fossambruno et Martino Satanni testibus — Ego Antonius cancellarius scripsi».

**) Cancellato, con in margine la nota: 1445 die XXVIIII septembris cancelatum fuit presens Instrumentum debiti de voluntate creditoris presentibus testibus Ser Rafaele & Martino vltrascriptis — Ego Antonius cancellarius scripsi».

rum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta*).

PRO PAULO LUSTALAR CONTRA IUDICEM VITUM ROSSO

Vltrascriptis die ac loco presentibus Spectabili viro domino Iacobo Raunacher Capitaneo dicte terre Fluminis Iudice Vito barolich Nicolao reintaler ambobus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iudex Vitus quondam Ser Martini sponte libere ex certa scientia non per errorem omni exceptione iuris uel facti remota per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Ser Rafaeli de Fossambruno habitatori dicte terre Fluminis presenti stipullanti & recipienti vice ac nomine Pauli lustalar de labaco eiusque heredum & successorum ducatos centum boni auri & iusti ponderis Et ho pro quadam plegiaria seu fideiussione facta dicto Rafaele nomine quo supra pro Iudice Mateo quondam ser donati quos quidem ducatos centum dare & soluere promisit prelibatus Iudex Vitus debitor prefato creditori usque ad festum natiuitatis domini nostri Ihesu Christi proxime futurum Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant....

LOCATIO ILIE VINEE MAGNE IN COXALA DOMINI PRESBITERI MATEI ARCIDIACONI

Die vndecimo mensis Januarij In Terra Fluminis Sci Viti In Statione mei notarij infrascripti presentibus presbytero Antonio Visignich Vito sarctore quondam Georgij Suetina çupanich testibus ad hoc uocatis & rogatis ac alijs Ibique Vitus mateieuich nomine ac vice domini presbyteri Matei Arcidiaconi & eius heredum dedit & locauit ad laborandum Ilie marito cecilie presenti vnam vineam positam in coxala iuxta Mariam rossouam & Nicolaum Raintalar & viam publicam his pactis & conditionibus quod dictus ilias teneatur & debeat bene & diligenter vineam predictam tenere & laborare secundum consuetudinem dicte terre Fluminis usque ad duodecim annos proxime futuros Et dictus ilias dare debeat dicto locatori medietatem vsufructuum oliuarum

---

*) Cancellato, c. s.: «1445 die 29 septembris cancelatum fuit presens Instrumentum debitis de voluntate creditoris presentibus Rafaele & Martino testibus suprascriptis — Ego Antonius cancellarius scripsi».

omni & singulo anno usque ad dictum terminum annorum duodecim Et similiter dare teneatur prefatus ilias dicto locatori duos modios vini clari primo anno Secundo uero anno modios tres vini clari Et deinde singulo anno usque ad prefatum terminum duo decim annorum modios quatuor Et quod dictus ilias teneatur singulo anno peruenare viters centum Promittens vna pars alteri adinuicem omnia & singula suprascripta attendere & adimplere cum obligatione omnium suorum bonorum.

PRO ADAM DE FIRMO CONTRA MATEO SOSTAR DE LACH

Die vndecimo mensis Ianuarij In Statione infrascripti Ade presentibus presbytero Gaspare cresolich Blasio cerdone testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Mateus Sostar de lach per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Ade Antonij de Firmo presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos vigintiquatuor boni auri & iusti ponderis et solidos quinquaginta tres paruorum Et hoc pro oleo habito a dicto creditore Quam quidem pecunie quantitatem dare et soluere promisit dictus debitor prefato creditori usque ad festum Sci Georgij proxime futurum Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta.

PRO PRESBITERO ANTONIO VISIGNICH CONTRA TEODORUM

Die XIII mensis Ianuarij In Statione mei notarij infrascripti presentibus Iudice Damiano quondam Matei Chirino glauinich testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Teodorus quondam dominici per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus qualiter fecit talem conuentionem cum presbitero Antonio Visignich presente stipullante & recipiente pro se suisque heredibus & successoribus quod si ipse Teodorus dicto presbytero Antonio non solueret libros decem et octo paruorum quas soluit idem presbyter Antonius Valentino Iurlinouich pro dicto Teodoro per totum mensem Marcij proxime futurum et ipsum presbyterum Antonium non liberauerit usque ad dictum terminum a plegiaria seu fideiussione facta pro dicto Teodoro a predicto presbytero Antonio Chirino spinçich quod tunc & eo casu pastinus prefati Teodori quem pro dicta fideiussione habet in pignere predictus presbyter Antonius sit et

esse debeat nomine emptionis dicti presbyteri Antonij pro precio & nomine precij librarum centum et decem paruorum Quod precium siue residuum dicti precij quod restaret ultra dictam fideiussionem factam Chirino spinçich & dictas libras decem & octo dare & soluere teneatur dictus presbyter Antonius predicto Teodoro usque ad festum Sci Martini proxime futurum. Qui presbyter Antonius voluit et se pro speciale pactu obligauit presentibus suprascriptis testibus quod si in dicto termino non soluerit ac numerauerit Residuum dicti precij prelibato Teodoro quod ipse presbyter Antonius soluere & reficere teneatur omnem damnum expensas ac interesse que ipsi Teodoro occurrerent siue sequerentur eo quod dictum residuum non haberet.

PROTESTUS SER ANTONIJ TAROLE DE GAIETA

Die XX mensis Januarij In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Iudice damiano quondam Matei Iudice Tonsa qd Ser Nicole Iudice Mateo quondam Ser donati Georgio sarctore quondam Stefani Martino quondam Çanini omnibus ciuibus & habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis specialiter & rogatis ac alijs Ibique Coram Nobili viro domino Vito matronich ad presens honorabili Iudice dicte terre Fluminis Comparuit Nobilis ac prouidus vir Ser Antonius tarola de gaieta asserens & dicens qualiter dum esset in portu Sce Malgarite insule Arbensis cum vna sua Saithia onerata frumento in conserua cum Saithia Ser Licardi Sergij de Gaieta etiam onerata frumento ilique starent creddentes se fore securos cum nulla adsit discordia neque bellum Inter Serenissimum eorum dominum Regem Aragonum &c et ducale dominium Venetiarum etc Superuenerunt alique barce armate misse a domino Paulo maripetro Comite Arbi et dictas saithias debellare ceperunt easque manu forti ac violenta captarunt et captiuas duxerunt Ad Ciuitatem Arbi in maximum damnum & detrimentum prefatorum Ser Antonij & Ser Licardi patronorum dictarum Saithiarum Expellentes dictos patronos eorumque socios et nautas de dictis saithijs Qui patroni ibidem existentes prelibatum dominum Comitem Arbi rogare ceperunt quod ipsos patronos cum Saithijs suis ac eorum carico libere ire permitterent quo tendere volebant cum sint amici & non inimici ducalis dominij venetiarum nec aliquid habeant contrabannum Qui dominus Comes Arbi hoc facere renuit videntes autem prefati patroni quod dictas Saithias

dimittere nolebat aduersus prelibatum Comitem Arbi et quamcunque aliam personam culpabilem in dicta retentione & captiuitate dictarum Saithiarum ac etiam Comunitatem Arbi protestarunt de omnibus & singulis damnis expensis ac interesse secutis & que postmodum sequerentur Sub lobia Arbi die XIIII mensis octobris proxime preteriti presentibus testibus infrascriptis videlicet Nobili viro domino Paulo de Ripa camerario Iadre domino Iacobo Valerio camerario Arbi ambobus nobilibus venetis Domino Stefano de domina Ser Francisco de Cernota Ser Colano eius fratre Ser Nicolao de Schata Ser Mateo Marineli Ser Mateo de Çaro Ser Batista Slouigna dominico Machina presbytero Adam Ser Ciprriano de Caçegna omnibus de Arbo Ser Jacobo de Rhjodo habitatore Curfoij patrono vnius nauignij Iacobo Iohannis Fiche de Gaieta Saluatore quondam Nicolai de Fontana de Neapoli Leonardo quondam Tome de Melfe de Trano. Nicolao Stranchea quondam durini de Ianua Martino çintol quondam Tisi de Ianua Ambrosio quondam Iacobi rosso de Tropea Dominico Maçangelo quondam Iacobi merçarij de Gaieta Petro Antonij vngari Andrea quondam Sauisoche (?) de Roma Iohanne quondam Caracini de Gaieta Vito filio petri glauinich de terra Fluminis Sci Viti ac alijs quampluribus Rogaueruntque dicti patroni Ser Pretum de Pirano notarium & cancelarium dicti domini Comitis tanquam publicam personam quod vellet eorum protestum scribere & publicare cui notario dictus dominus Comes precepit quod dictum protestum nec scriberet nec publicaret Rogarunt insuper Ser Andream de Venetijs notarium habitatorem Arbi quod ipse tanquam publica persona suprascriptum protestum scribere deberet & in publicam reducere formam qui notarius etiam propter mandatum dicti domini Comitis ipsi factum non fuit ausus scribere Videntes autem prefati patroni quod dictus dominus Comes nulla mundi via ipsis eorum saithias cum earum carico restituere vellet runcios suos destinarunt Venetias ad ducale dominium Venetiarum ipsum autem ducale dominium auditis iuribus nunciorum predictorum patronorum eisdem literas ducales pro restituitione dictarum Saithiarum cum Carico tribuit Quas literas ducales prefati patroni predicto domino Comiti presentarunt Qui Comes ipsis literis ducalibus nec obedire neque dictis patronis res suas restituere voluit Quod cernentes prelibati patroni iterum ac de nouo protestarunt aduersus prefatum dominum Comitem die XVI mensis nouembris proxime preteriti Sub lobia Arbi presentibus

suprascriptis testibus de omnibus & singulis damnis expensis & interesse secutis & que postmodum sequerentur Rogantes quemlibet suprascriptorum notariorum per se quod scribere ac publicare vellet ipsum protestum qui ambo ob mandatum dicti domini Comitis ipsis factum quod non scriberent scribere noluerunt neque aussi sunt Considerantes autem predicti patroni quod nec litere ducales neque protestus ipsis proficiebant ad rehabendum res suas iterum Venetias eorum nuncios ad ducale dominium Venetiarum delegarunt expositum qualiter predictus dominus Comes ipsis literis ducalibus obedire nolebat nec ipsis res vi acceptas restituere vnde prefatum ducale dominium Venetiarum iterato dictorum patronorum nuncijs literas ducales contribuit pro restitutione dictarum saithiarum cum eorum carico ac rebus omnibus acceptis Quas literas prefati patroni dicto domino comiti presentarunt Literis autem ipsis prelectis dictus dominus Comes prelibatis patronis Timones vella resque vi acceptas quamvis non omnes restituit dicens eis iam estis in vestra libertate quo audito dum prelibati patroni cum dictis saithijs se prepararent ut ad suum accederent viagnium iterato dictus dominus comes predictis patronis Timones vella et res alias reaccepit fingens se mittere nuncios Iadram aliasque inueniens cauillationes. Videntes autem prefati patroni quod post suprascriptam restitutionem ipsos ac etiam eorum res contra omne iuris debitum predictus dominus Comes iterum retinebat Tercio coram suprascriptis testibus Sub iobia Arbi Die XXIII.o mensis decembris proxime preteriti aduersus dictum dominum comitem protestarunt ut supra Rogantes notarios suprascriptos eo modo quo supra ipsi vero renuerunt scribere ut supra itaque neuter suprascriptorum notariorum ob timorem dicti domini Comitis scribere suprascriptos protestus ausus fuit Et cum hec omnia & singula a dicto domino Comite Arbi acta et gesta sint in maximum preiudicium detrimentum ac damnum predictorum patronorum contra eorum voluntatem vti cunctis notum est Nam postquam homines barcarum armatarum missarum a dicto domino Comite Arbi dictas Saithias ascenderunt ac eas in sua habuerunt potestate non tanquam custodes maris sed tanquam pirate septem homines pacifice stantes vulnerarunt ad mortem in quarum medicamine et infirmitate expensas quamplures fecerunt prefati patroni et quasi omnes res nautarum seu marinariorum ac aliqua ipsarum Saithiarum abscondentes derobarunt quas nequaquam rehabere potuerunt. Frumenti vero

starium ad mensuram venetiarum eo tempore quo capti fuerunt vendebatur libris quatuor cum dimidio Cum vero res suas rehabuerunt eadem mensura vendebatur libris tribus cum dimidio. retentique fuerunt a dicto domino Comite Arbi tribus mensibus ybi habuerunt quadragintaduas personas ad expensam vnde dictis tribus mensibus ducatos quatricentos auri in expensis fecissent quia ipsis tribus mensibus adminus duo viagnia que ob dictam retentionem facere non potuerunt et multa alia damna passi sunt que loco et tempore debitis approbabunt Quapropter prefatus Ser Antonius Tarola patronus Pro se ac suo nomine ac etiam nomine et vice prefati Ser Licardi Sergij a quo asseruit se plenariam habere libertatem potestatem et arbitrium ad presentem protestum faciendum omni via modo iure & forma quibus magis melius & efficacius fieri potest protestatus fuit In ducatis mille quingentis auro pro singula Saithia pro damnis detrimento ac interesse usque ad presentem diem passis & susceptis presentim contra et aduersus prefatum dominum Paulum Maripetro Comitem arbi et quamcumque aliam personam siue Comunitatem in captione ac retentione dictarum Saithiarum culpabilem absentes sed tanquam presentes ac etiam protestatus fuit nominibus quibus supra omnes & singula expensas secutas & secuturas ac etiam omnia & singula interesse secutura Quem protestum dictus dominus Vitus Iudex ad presens dicte terre Fluminis admisit in quantum de iure tenetur ac debet aliter non.

PROTESTUS SER ANTONIJ TAROLE DE GAIETA

Vltrascriptis die loco ac testibus Coram suprascripto Iudice comparuit Nobilis vir Ser Antonius tarola de Gaieta asserens & dicens qualiter dum esset in portu Sce Malgarite Insule arbensis cum vna Saithia onerata frumento Die XIII mensis octobris proxime elapsi aduenerunt alique Barce armate misse a domino Paulo maripetro Comite Arbi et dicti Antonij Saithiam debellarunt manuque forti ac violenta eam ceperunt duxeruntque Arbum qui Ser Antonius sciens quod dicta Saithia exuberabat aqua totis iuribus rogata rogabat prefatum dominum Comitem Arbi permittere deberet dictum Ser Antonium et eius aliquos socios ascendere Saithiam ad proiciendum aquam extra ne frumentum intus positum balnearetur atque destrueretur Qui dominus Comes tanto tempore renuit ipsum permittere ascendere quod dicta Saithia tanta abundauit aqua quod centum Staria frumenti

ad mensuram ciuitatis Venetiarum fuerunt inde balneata destructa ac deuastata nulliusque valoris uti cunctis arbensibus notum fuit dictus etiam Ser Antonius patronus rogabat etiam dictum dominum Comitem quod res eius sociorum uel marinariorum suorum acceptas ac derobatas & aliaque coredia dicte saithie accepta restitueret quod minime factum est Idcirco prefatus Ser Antonius tarola patronus omnibus iuris remedijs quibus melius & efficacius fieri potest protestatus fuit pro singulo Stario frumenti ipsi Antonio deuastato in libras quatuor cum dimidio contra & aduersus prelibatum dominum Paulum Maripetro Comitem arbi licet absentem sed tanquam presentan etiam in omnibus ac singulis rebus marinariorum acceptis ac derobatis ab hominibus barcarum predictarum armatarum nec non in aliquibus coredijs dicte Saithie similiter ab ipsis acceptis & derobatis Quem Protestum prefatus dominus Iudex Vitus admisit in quantum de iure tenetur & debet & aliter non.

PRO IUDICE AMBROSIO

Die XXV mensis Ianuarij In Statione infrascripti Iudicis Nicolai micolich presentibus dicto Iudice Nicolao Iudice Vito quondam Matchi testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iudex Ambrosius cresolich dedit & consignauit in manibus Iohannis dicti Sandaie Ibidem presentis vnum Instrumentum publicum cuiusdam venditionis facte dicto Iohanni A dona Perina de Flumine vxore Ser Iacobi de Btho (?) de Iudaica de Venetijs scriptum ibidem anno domini 1434 Indictione XII die sexto mensis Maij per Ser Bartolomeum quondam Ser Tomasij de Tomasio de Venetijs notario quodque Instrumentum prefatus Iudex Ambrosius recepit in capsa quondam Iudicis Pauli fratris sui.

PRO JANES STLACHURAÇ (SIC) CONTRA SER RAFAELEM

Die XXV mensis Ianuarij In Terra Fluminis Sci Viti In domo habitationis infrascripti Rafaelis presentibus Iudice Damiano quondam Matei Georgio contouich testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Ser Rafael quondam Francisci de Fossambruno per se suosque heredes & successores dedit atque designauit pro pignere speciali Iohanni Slatichuraç de loch presenti & pro se suisque heredibus recipienti suum ortum positum in districtu Fluminis eundo ad Scum Andream Et hoc pro ducatis duodecim auri quos dicto Io-

hanni dare debet pro plegiaria facta pro Castelino de Pensauro Quosque ducatos duodecim dictus Rafael eidem Johanni dare & soleure promisit usque festum Sci Georgij proxime futurum & designauit eidem pro pignere ortum suum in littore maris positum.

CONTRADICTIO SER RAFAELIS

Die XXVIII mensis Ianuarij In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus dono presbytero Gaspare Cresolich Cipriano Fariçich testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Coram Nobili & Egregio viro domino Iacobo Raunacher Capitaneo Ser Vito matronich ad presens Iudice Comparuit Rafael de Fossambruno asserens qualiter ad petitionem generosi Millitis domini Martini Raunacher incantantur alique possessiones Ser Castelini et quia dicto Rafaeli idem Ser Castelinus tenetur in aliqua pecunie quantitate uti loco & tempore debitis demonstrabit Idcirco prefatus Ser Rafael contradicit dicto incantui & petit quod vltra non incantetur quousque Iusticia super hoc suum debitum non sortietur effectum.

PROTESTUS DOMINI MARTINI

Die XXVIII mensis Ianuarij In Terra Fluminis Sci Viti In Statione Iudicis Nicolai micolich presentibus Iudice Georgio glauinich Iohanne dicto Iagnaç Blasio cerdone quondam Antonij omnibus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Coram Nobili viro domino Iacobo Raunacher Capitaneo Iudicibus & consilio dicte terre Fluminis compariut Generosus miles dominus Martinus Raunacher asserens & dicens qualiter Ser Rafael de Fossambruno habitator dicte terre Fluminis nunc contradicit Incantui aliquarum possessionum Ser Castelini de pisauro quas ponere fecit ad publicum incantum pro certa pecunie quantitate et cum sit quod ipse dominus Martinus iam diu petierit denarios suos intromittens se in bonis dicti Ser Castelini mittens etiam pisaurum literas citatorias prout omnibus notum est & maxime dicto Rafaeli quem ipse dominus Martinus rogauit ut esset eius procurator in hac causa et tamen dictus Rafael nunquam comparuit nec in citationibus neque in sequestratione neque in pignerum designatione nisi hodierno die Et hoc ut impediat ipsum dominum Martinum ne eius causa debitum sortiatur effectum Idcirco dictus dominus

Martinus omni via modo iure & forma quibus magis & melius sciuit ac potuit protestatus fuit contra & aduersus prefatum Rafaelem ibidem presentem pro damno interesse et expensis secutis & secuturis in ducatis ducentis auri.

PRO IOHANNE SCUBEN CONTRA IUDICEM MATEUM

Die 3.o mensis Februarij In Statione mei notarij infrascripti presentibus Vito mateieuich Blasio cerdone quondam Antonij testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iudex Mateus donadouich per se suosque heredes & successores fuit contetus & confessus se iuste teneri & dare debere Iohanni Scuben de lach presenti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos octo boni auri & iusti ponderis Et hoc pro ferro habito a dicto creditore Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori usque ad festum Sci Iohannis proxime futurum Sub pena dupli cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta Quos denarios dictus creditor voluit me notarium suscipere*).

PRO ANCE CRAMAR CONTRA IUDICEM MATEUM

Vltrascriptis die loco ac testibus Iudex Mateus donadouich per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Iohanni Cramar de lach presenti & pro se suisque heredibus & successoribus recipienti & stipullanti ducatos quinquaginta tres boni auri & iusti ponderis Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori per terminos infrascriptos videlicet medietatem ab hoc carnispriuio usque ad aliud carnispriuium Et alteram medietatem a festo Sce Malgarite proxime futuro usque ad aliud festum Sce Malgarite tunc proxime futurum Et ad maiorem cautellam prefati creditoris dictus debitor eidem obli-

---

*) Cancellato, con in margine la nota: «1449 die 29 mensis Aprilis cancelatum fuit presens Instrumentum debiti de voluntate creditoris presentibus Iudice Nicolao micolich Martino aurifice testibus ad hec uocatis & rogatis — Ego Antonius cancellarius scripsi».

gauit & pro speciali pignere designauit vineam positam in ponxala*).

PRO ANÇE SCUBEN CONTRA IUDICEM MAURUM

Die 3 mensis Februarij In Statione mei notarij infrascripti presentibus Iudice Damiano quondam Matei Iudice Stefano blasinich Martino quondam çanini omnibus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iudex Maurus Vidonich per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Iohanni Scuben de lach presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos quadraginta quatuor boni auri & iusti ponderis pro ferro habito a dicto creditore Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori usque ad festum Sce Malgarite proxime futurum Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta**).

PRO CHIRINO SPINÇICH CONTRA CURILUM POFNIÇICH

Die septimo mensis Februarij In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Iudice Vito matronich Iudice Mateo donadouich testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Curilus pofniçich per se suosque heredes & successores tanquam plegius & fideiussor Stefani Mortath fuit contentus & confessus se habuisse ac recepisse A Chirino spinçich de Castua vnam vegetem plenam vino tenute modiorum sexdecim siue plus sinue minus prout reperietur in mensura in ratione solidorum septuaginta pro singulo modio Quod precium siue valorem vini soluere promisit prefatus Curilus dicto Chirino usque ad festum Sci Michaelis de mense septembris proxime futuro Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant ominia & singula suprascripta.

---

*) Cancellato, con in margine la nota: «1447 die vltimo mensis Madij cancelatum fuit presens Instrumentum debiti de voluntate creditoris presentibus Iudice Vito rosso Martino quondam Çanini testibus ad hec uocatis & Rogatis — Ego Antonius cancellarius scripsi».

**) Cancellato, c. s.: «1445 die 5.o octobris cancelatum fuit presens Instrumentum debiti de voluntate creditoris presentibus Ser Castelino et Osualdo de lach testibus ad hec uocatis & rogatis ac alij — Ego Antonius cancellarius scripsi».

PRO PETRO VIÇACH CONTRA IUDICEM MAURUM

Die octauo mensis Februarij In Statione mei notarij infrascripti presentibus Iudice Vito qm Ser Matchi Prodano de Pago ambobus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iudex Maurus Vidonich per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Petro Viçach de lach presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus libras centum & octoaginta duas parvorum Et hoc pro clauis habitis a dicto creditore Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori usque ad festum Sce Malgarite proxime futurum Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta.

PRO MICHAELE PRASNO-VRECHIE & EIUS FRATRE CONTRA IUDICEM MATEUM

Vltrascriptis die ac loco presentibus Iudice Mauro Vidonich Grisano quondam Iudicis Martini ambobus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iudex Mateus donadouich per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Michaeli prasno vrechie de lach & Laurentio eius fratri presentibus stipullantibus & recipientibus pro se suisque heredibus & successoribus ducatos octoaginta quinque boni auri & iusti ponderis pro ferro clauis & bertadelis habitis a dictis creditoribus Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefatis creditoribus ad omnem ipsorum requisitionem sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta*).

PROCURA LUCE CALADICH

Die X.o mensis Februarij In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Iudice Vito matronich Iudice Tonsa quondam Ser Nicole

---

*) Cancellato, con in margine la nota: «1459 die XI mensis Madij cancelatum fuit presens Instrumentum debiti de voluntate Laurentij prasno vrechie & pauli quondam Michaelis prasno vrechie presentibus Iudice Tonsa quondam Ser Nicole Iohanne Suab hospite testibus ad hoc uocatis & rogatis — Ego Antonius scripsi».

ambobus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Lucas caladinich de Lesina omni via modo iure & forma quibus magis & melius sciuit ac potuit fecit constituit creauit & ordinauit Petrum sarctorem de Jadra suum uerum & legitimum procuratorem actorem factorem & certum nuncium specialem presertim in omnibus & singulis litibus placitis & controuersijs que uel quas quomodocumque habet siue habere posset cum Voino quondam Radoslaui de Subinico Coram quocumque Iudice tam ecclesiastico quam seculari ad agendum petendum respondendum libellos & petitiones dandum & recipiendum testes scripturas & alia iura sua producendum sententias audiendum & eas executioni mandare faciendum protestandum sequestrandum Et generaliter &c dans &c Promittens &c.

PRO TOMASINO DE VEGLA CONTRA ANTONIUM LAPICIDAM DE PISAURO

Die XI mensis Februarij In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Iudice Mauro Vidonich Vito matronich Teodoro qm dominici omnibus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Antonius Lapicida quondam... de pisauro per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Tomasino quondam Tome de Vegla presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos quindecim boni auri & iusti ponderis Et hoc pro vna barca habita a dicto creditore Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori per totum mensem Marcij proxime futurum Et ad maiorem cautelam prefati creditoris dictus debitor eidem creditori dedit & pro speciali pignere designauit vnam vestem a muliere aliquos pannos lineos & duo cingula argentea de aurata hoc pacto & condicione quod dictus creditor elapso dicto termino possit & valeat dicta pignera ponere ad publicum incantum non faciendo aliquam notitiam predicto debitori non obstante aliqua consuetudine siue statuto dicte terre Fluminis.

PRO BLASIO GEORGIJ HABITATORE VENETIARUM CONTRA TOMASINUM

Die XIII mensis Februarij In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Teodoro quondam dominici Toma remerio de bucharo testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Tomasinus de Vegla habitator

dicte terre Fluminis per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Blasio Georgij de partibus Sclauonie habitatori Venetiarum presenti & pro se suisque heredibus & successoribus stipullanti & recipienti libras octoaginta quatuor paruorum Et hoc pro quatuor miliarijs et duobus centenarijs buratelorum salsorum Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori siue mihi notario nomine ipsius usque ad vigessimum octauum diem quadragessime presentis sub Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta.

PRO ADAM CONTRA IAGNAÇ & EIUS MATREM

Die XIIII mensis februarij In Terra Fluminis Sci Viti in domo isfrascriptorum debitorum presentibus Agabito contouich Andrea toporischijch testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iohannes dictus Iagnaç et betola eius mater per se suosque heredes & successores fuerunt contenti & confessi se iuste teneri & dare debere Ade Antonij de Firmo presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos tresdecim boni auri & iusti ponderis & solidos octoaginta nomine mutui Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promiserunt dicti debitores prefato creditori usque ad festum assumptionis beate Marie Virginis proxime futurum Sub pena quarti Et ad maiorem cautelam prefati creditoris dicti debitores eidem obligarunt & pro speciali pignere designarunt domum suam in qua habitant cum muralea ipsi contigua.

PRO BARTOLOMEO MATIUCIJ CONTRA OSUALDUM DE LACH

Die XIIII mensis Februarij In publica platea Terre Fluminis Sci Viti presentibus Nicolao tomasino de Vegla Vito mateieuich ambobus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Osualdus quondam Iohannis de lach per se suosque heredes fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Bartolomeo Matiucij de Firmo presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos decem et octo boni auri & iusti ponderis videlicet tresdecim pro oleo et quinque mutui nomine Pro quibus quidem ducatis decem et octo dictus Osualdus dare & consignare promisit prefato creditori in dicta terra Flu-

minis barilia duodecim clauorum cum capitibus planis pro precio & foro Inter ipsos facto quorum clauorum Barilia quatuor dare & consignare debet dictus Osualdus prefato Bartolomeo usque ad festum annunciationis beate Marie Virginis proxime futurum et residuum usque ad festum Sci Georgij proxime futurum Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Et ultra dictum debitum dictus Bartolomeus dare debet pro valore dictorum clauorum promptam pecuniam*).

PROCURA MATEI SCHAMPICH IN SER BARTOLUM MATEIEUICH

Die XV mensis Februarij In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Martino Çaninich Grisano quondam Iudicis Martini testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Mateus scampich habitator Albone omni via modo iure & forma quibus magis & melius sciuit ac potuit fecit constituit creauit & ordinauit Prouidum Virum Ser Bartolum mateieuich Capitaneum Castue presentem & infrascriptum mandatum sponte suscipientem suum uerum & legitimum procuratorem actorem factorem & certum nuncium specialem presertim in omnibus & singulis placitis litibus & questionibus quas habere intendit cum Chirino glauinich Et ad comparendum si opus fuerit coram Regimine dicte terre Fluminis & alio quocumque Iudice tam ecclesiastico quam seculari Ad agendum petendum respondendum libellos & petitiones dandum & recipiendum terminos & dillationes petendum testes scripturas & alia iura sua producendum sententias audiendum & eas executioni mandare faciendum Et generaliter ad omnia alia & singula dicenda gerenda & procuranda que In predictis & circa predicta & qualibet predictorum duxerit facienda & necessaria ac utilia videbuntur que & quemadmodum ipse constituens facere posset si adesset. Dans &c Promittens &c.

OBLIGATIO FAMULI PRO MAGISTRO TOMA BARBITONSORE

Die XXII mensis Februarij In Terra Fluminis Sci Viti In Statione mei notarij infrascripti presentibus Prouido Viro Ser Antonio de terentijs de pi-

*) Cancellato con in margine la nota: «1445 die XXVII mensis Aprilis cancelatum fuit presens Instrumentum debiti de voluntate creditoris presentibus Iudice Mauro Vidonich Iudice Tonsa quondam Ser Nicole testibus ad hec uocatis & rogatis — Ego Antonius cancellarius scripsi».

sauro Petro sarctore quondam blasij de Iadra ambobus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Georgius quondam Briçe de labaco ut asserit sexdecennis non vi non metu sed sua spontanea uoluntate se concordauit & obligauit ad standum et seruiendum Magistro Tome quondam Iohannis de labaco salariato comunis terre Fluminis per annos quatuor proxime futuros his pactis & condicionibus quod dictus Georgius teneatur & debeat bene diligenter & fideliter seruire prefato Magistro Tome & ipsi obedire tanquam patrono & magistro suo Et prefatus magister Tomas teneatur & debeat dicto Georgio dare vitum & vestitum competentem & ipsum docere artem suam barbitonsorie Et in capite predictorum quatuor annorum eidem Georgio dare & soluere marchas sex denariorum et si fuerit bonus & bene obediens idem Georgius prelibatus magister Tomas promisit eidem dare & soluere ultra dictas sex marchas marchas duas volens dictus georgius posse compelli personaliter et realiter ad implendum et obseruandum suprascripta Venetijs Ancone labaci Iadre Segne & vbique locorum et cadat ipse Georgius si non attenderet & obseruaret suprascripta ad penam librarum quinquaginta paruorum cuius pene medietas sit prefati magistri Tome et altera medietas regiminis a quo ipse Georgius compelletur ad obseruandum suprascripta Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta.

PRO CHIRINO SPINÇICH CONTRA IUDICEM MALI DE LAURANA

Die XXII mensis Februarij In Monasterio Sci Augustini terre Fluminis presentibus Çupano Xauida Paulo radaueçich ambobus de Castua Paulo Vidotich de Flumine testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iudex Mali Siuberich de Laurana per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Chirino spinçich de Castua presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus libras nonaginta vnam paruorum Pro qua quidem pecunie quantitate prefatus debitor suprascripto creditori obligauit & pro speciali pignere designauit suum pastinum positum iuxta portam Laurane hoc pacto quod ipse Iudex mali teneatur & debeat dictum pastinum laborare & usufructus vue dare prefato creditori in ratione solidorum decem & octo pro singula brenta annuatim usque ad integram satisfac-

tionem suprascripti debiti Sub pena quarti Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta.

PRO ÇUPANO IADRIÇA DE SCO VINCENTIO CONTRA IUDICEM MATEUM

Die XXV mensis Februarij In Terra Fluminis Sci Viti In Statione Iudicis Nicolai micolich presente Spectabili viro domino Iacobo Raunacher Capitaneo dicte terre Fluminis presentibus etiam Iudice Ambrosio cresolich Iudice Vito matronich ambobus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iudex Mateus quondam Ser donati sponte libere ex certa scientia non per errorem omni exceptione iuris uel facti remota per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Çupano Andree quondam dominici Volçich de Sco Vincentio presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos triginta quatuor boni auri & iusti ponderis & libras tres paruorum Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori per terminos infrascriptos videlicet ducatos uiginti usque ad festum pentecostes proxime futurum et residuum usque ad festum Sci Michaelis de mense septembris proxime futuro cum obligatione omnium suorum *(bonorum)* Et si prefatus debitor dicto creditori aut eius commisso siue nuncio non solueret in supradictis terminis ut supra voluit quod prefatus creditor veniat uel mittat ad exigendum suprascriptam quantitatem pecunie expensis ipsius debitoris.

PROCURA ÇUPANI CRISE DE SCO VINCENTIO IN MALGARITAM

Die XXVI.to mensis Februarij In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Iudice Cosma radolich Iudice Stefano blasinich ambobus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Çupanus Crise de Sco Vincentio omni via modo iuris & forma quibus magis & melius sciuit ac potuit fecit constituit creauit & ordinauit Malgaritam posniçichieuam presentem & infrascriptum mandatum sponte suscipientem suam ueram & legitimam procuratricem actricem factricem & certam nunciam specialem presertim ad exigendum & recuperandum a Mateo schof libras sexdecim paruorum & de per eam receptis finem dimissionem & pactum de ulterius non petendo cum solemnitatibus

necessarijs faciendum & Ad comparendum si opus fuerit Coram regimine dicte terre Fluminis Ad agendum petendum respondendum libellos & petitiones dandum & recipiendum terminos & dillationes petendum testes & alia iura sua producendum Sententias audiendum & eas executioni mandare faciendum Et generaliter &c Dans &c Promittens &c.

ACCORDATIO FAMULI PRO SER NICOLAO QUONDAM ANTONIJ DE VENETIJS HABITATORE ANCONE

Die XXVII mensis Februarij In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Iudice Mateo quondam Ser donati Bartolomeo Matiucij de Firmo Blasio cerdone quondam Antonij omnibus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Petrus quondam Georgij de sobote sub blagaia non vi non metu sed sua spontanea voluntate se concordauit & obligauit ad standum & seruiendum Ser Nicolao quondam Antonij de Venetijs habitatori Ancone patrono vnius charachie per annos quatuor proxime futuros his pactis & condicionibus quod dictus Petrus teneatur & debeat bene legaliter & fideliter seruire dicto Nicolao & ipsi obedire tanquam domino & patrono suo toto tempore dictorum quatuor annorum Et prefatus Nicolaus teneatur & debeat dicto Petro dare vitum et vestitum competente toto dicto tempore Et in fine dictorum quatuor annorum prefatus Nicolaus teneatur & debeat dicto Petro dare & soluere ducatos nouem auri Promittens vna pars alteri ad inuicem omnia & singula suprascripta attendere obseruare et adimplere Sub pena librarum quinquaginta cuius pene medietas sit regiminis vbi lis fiet & altera medietas partis observantis Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta.

PRO VALENTINO IURLINOUICH

Die vltimo mensis Februarij Sub Macello terre Fluminis Sci Viti presentibus Iudice Tonsa quondam Ser Nicole Francisco fabro quondam Martini ambobus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iacobus ratich de Cuceuia fuit contentus & confessus qualiter recepit A domina Matea uxore quondam Iurlini hospitis duos Cabrios olei in ratione debiti ducatorum XLVIII quos dicta Matea & prefatus quondam eius uir dare debent Petricio & Tome fratribus & Vito de Cuceuia uti constat Instrumento publico scripto

manu mei notarij infrascripti anno domini 1436 die XXII mensis aprilis Et similiter in ratione dicti debiti scit quod Nichleus de cuceuia recepit duos Çabrios olei a tribus annis citra et quod ipsi ambo hec receperunt et dixit quod nescit an aliquid prius fuerit datum in ratione suprascripti debiti.

OBLIGATIO FAMULI PRO TOMASINO

Die 3.o mensis Marcij in Statione infrascripti Nicolai tomasini In Terra Fluminis Sci Viti presentibus Iudice Ser Tonsa quondam Ser Nicole Ser Adam Antonij de Firmo ambobus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Xiuicus molendinarius sponte concordauit & obligauit yliam filium suum presentem & consencientem ad standum et seruiendum Nicolao Tomasino de Vegla presenti et acceptanti per vnum annum proxime futurum his pactis & condicionibus quod dictus ylias teneatur & debeat dicto Nicolao bene legaliter & fideliter seruire et obedire tanquam domino & patrono suo dicto tempore Et prefatus Nicolaus teneatur & debeat dicto ylie dare pro suo labore vitum & calceatum competentem tam caligarum quam subtelarium et vnum mantelum de rassia colorata et vnam diploidem & duas interulas & duas serabulas et libras duodecim paruorum*).

PRO IUDICE MATEO CONTRA TOMASINUM

Die quarto mensis Marcij In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Gaspare Antonij de Firmo Grisano quondam Iudicis Martini Testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Nicolaus Tomasini de Vegla precibus Matei de Chiauena habitatoris None et dominici eius filij ac luce caladich de lessina se constituit plegium & fideiussorem Iudici Mateo quondam Ser donati pro coredijs barchusij siue rebus quos prefatus Iudex Mateus dedit ac designauit predicto Luce et quas res siue coredia dimiserat Voinus de Subinico in manibus prefati Iudicis Matei Promittens prefatus Nicolaus tomasini dicto Iudici Mateo ipsum conseruare indemnem a designatione ac traditione dicta-

*) Cancellato, con in margine la nota: «1449 cancelatum fuit presens Instrumentum de voluntate amborum partium die 19 mensis Maij presentibus Martino çaninich et Blasiça cerdone testibus ad hec uocatis & rogatis — Ego Antonius cancelarius scripsi».

rum rerum siue corediorum cum obligatione omnium suorum bonorum.

PRO TOMASINO CONTRA MATEUM & DOMINICUM EIUS FILIUM & LUCAM CALADICH

Die ac loco suprasciptis presentibus Nicolao Raintalar Martino çaninich ambobus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Cum Nicolaus Tomasini de Vegla fecerit fideiussionem siue plegiariam Iudici Mateo quondam Ser donati pro luca caladich de lessina pro coredijs siue rebus barchusij designatis ac traditis a dicto Iudice Mateo predicto Luce quas res siue coredia dimiserat Voinus de Subinico in manibus dicti Iudicis Matei Idcirco Mateus de chiauena habitator none et dominicus eius filius et dictus Lucas simul & in solidum cum obligatione omnium suorum bonorum promiserunt prelibato Nicolao Tomasino presenti & pro se suisque heredibus stipullanti ipsum conseruare indemnem a dicta fideiussione siue plegiaria.

PROTESTUS IUDICIS NICOLAI ET ADE

Die quinto mensis Marcij In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Iudice Damiano quondam Matei grisano quondam Iudicis Martini Vito mateieuich omnibus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis& rogatis ac alijs Ibique Coram Nobili viro domino Vito matronich honorabili Iudice dicte terre Fluminis comparuerunt Iudex Nicolaus micolich & Adam Antonij de Firmo asserentes & dicentes qualiter Acatius de Stain ipsis dare tenetur circa miliaria viginti ferri Et iam diu elapsus est terminus ad quem eisdem prefatus Acatius tenebatur dare & consignare dictam ferri quantitatem & tamen ipsis non designauit ipsam ferri quantitatem quod ipsis in magnum redundat damnum Idcirco prelibati Iudex Nicolaus & Adam omnibus illis iuris remedijs quibus melius fieri potest protestati fuerunt contra prefatum acatium licet absentem de ducatis quinquaginta pro suo damno & interesse & de expensis secutis & secuturis.

PROTESTUS ADE DE FIRMO

Vltrascriptis die loco ac testibus Coram suprascripto domino Iudice Comparuit Adam Antonij de Firmo asserens & dicens qualiter Leo-

nardus de Stain ipsi dare tenebatur certam quantitatem ferri et coriorum siue pellium bouinorum ad quemdam terminum qui Iam elapsus est & ipsi Ade non destinauit neque dedit ferrum neque coria siue pelles bouinas et hoc quia dictus Leonardus alio quam ad dictam terram Fluminis ferrum & coria mittit quod ipsi Ade in magnum redundat damnum Idcirco prefatus Adam omni via modo iure & forma quibus magis & melius fieri potest contra dictum Leonardum licet absentem de ducatis quinquaginta auri pro suo damno & interesse & de expensis secutis & secuturis.

PRO SER ANÇELINO CONTRA TOMASINUM

Die octauo mensis Marcij in publica platea terrae Fluminis Sci Viti presentibus Iudice Mauro Vidonich Ser Rafaele de Fossambruno Vito mateieuich omnibus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis specialiter & rogatis ac alijs Ibique Nicolaus Tomasini de Vegla habitator dicte terre Fluminis per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se habuisse ac manualiter recepisse A Ser Ançelino bonfiolo de Florentia habitatore dicte terre Fluminis presente & pro se suisque heredibus & successoribus stipulante libras quatricentas paruorum in prompta pecunia his pactis & condicionibus quod dictus Nicolaus Tomasini teneatur & debeat mercari & traficare cum prescriptis denarijs usque ad unum annum proxime futurum qui tamen annus incipere debet a prima die februarij proxime preteriti & omnis quilibet atque singuli lucri quod sequetur ex mercatione & traficatione dictorum denariorum prefatus Nicolaus Tomasini teneatur ac debeat dare prelibato Ser Ançolino medietatem Et in fine anni predicti si dicta pacta predictis partibus non placuerint aut alteri ipsarum quod tunc & eo casu prefatus Nicolaus teneatur & debeat prelibato Ser Ançelino integre restituere ac reddere predictas libras quatricentos in prompta pecunia usque ad unum mensem immediate sequentem post dictum annum omni exceptione iuris ac litis cessante penitus & remota Pro quibus omnibus & singulis suprascriptis sic firmiter obseruandis &c.

PROTESTUS DAMIANI DRAGONICH

Die nono mensis Marcij In Lobia terre Fluminis Sci Viti presentibus Iudice Mateo quondam Ser donati georgio glauinich Antonio rossouich testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Damianus Dragonich de Albona Coram Nobili Viro

Ser Vito matronich ad presens honorabili Iudice dicte terre Fluminis Comparuit asserens & dicens qualiter Bona quondam Stefani terçich aui sui que sunt in manibus Iacobi cigantich magis ipsi pertinet quam alteri persone Idcirco ipse Damianus interdicit & sequestrat omnes possessiones que fuerunt dicti quondam Stefani Supplicans ipsi domino Iudici precipere debeat dicto Iacobo siue eius vxori quod in dictis possessionibus se dimittere non debeat quousque discernetur cui de iure dicte possessiones pertineant.

PRO CIPRIANO FARIÇICH CONTRA PRESBYTERUM MARCUM RADOLICH

Die XI.o mensis Marcij In Statione mei notarij infrascripti presentibus Magistro dominach carpentario Blasio cerdone quondam Antonij testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique presbyter Marcus radolich fuit contentus & confessus se habuisse ac recepisse a cipriano Fariçich vnum caratelum plenum vino tenute modiorum vndecim uel circa siue plus uel minus prout reperietur in mensura in ratione solidorum nonaginta pro singulo modio valorem cuius vini siue precium dictus presbyter Marcus dare & soluere promisit dicto Cipriano usque ad festum assumptionis beate Marie Virginis proxime futurum Et ad eius maiorem cautelam prefatus presbyter Marcus eidem obligauit & pro speciali pignere designauit sua terrena cum curia posita in districtu Fluminis in loco dicto podbreg.

PROCURA DOMINE MAFEE UXORIS ANTONIJ LAPICIDE DE VENETIJS

Die XV mensis Marcij In Terra Fluminis Sci Viti In domo habitationis infrascripti Magistri Antonij lapicide presentibus Iudice Mateo quondam Ser donati Nicolao Raintalar Magistro Toma barbitonsore quondam Iohannis omnibus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis specialiter & rogatis ac alijs Ibique domina Mafea uxor Magistri Antonij lapicide quondam benedicti habitatoris Venetiarum omni via modo iure & forma quibus magis & melius sciuit ac potuit fecit constituit creauit & ordinauit prouidum virum Ser Andream quondam benedicti Ciuem Venetiarum absentem sed tanquam presentem suum uerum & legitimum procuratorem actorem factorem & certum nuncium specialem presertim in omnibus & singulis litibus placitis controuerijs & que-

stionibus que uel quos habet siue habitura est cum Ser Iohanne quondam Laurentij de Venetijs eius patruum et cum hereditate siue commissaria quondam Ser Cecipin de Venetijs et alia quacumque persona tam in agendo quam in defendendo quacumque ex causa Et ad petendum et exigendum a prefatis et quacumque alia persona omnes & singulas res quas quomodocumque ipsi constituenti dare tenerentur & de per eum receptis finem dimissionem quietationem & pactum de vlterius non petendo cum solennitatibus necessarijs faciendum Et ad comparendum si opus fuerit coram quibuscumque Iudicibus et officialibus Venetiarum tam ecclesiasticis quam secularibus Ad agendum petendum respondendum libellos et petitiones dandum & recipiendum terminos & dillationes petendum testes scripturas & alia iura sua producendum sententias audiendum & eas executioni mandare faciendum Iuramentum calupnie et quodlibet aliud genus iuramenti in anima dicte constituentis prestandum & recipiendum & ad vnum uel plures procuratores sustituendum & eos reuocandum rato manente presente mandato Et generaliter ad omnia alia & singula dicenda gerenda & procuranda que in predictis & circa predicta & quolibet predictorum duxerit facienda & necessaria ac utilia videbuntur que & quemadmodum ipsa constituens facere posset si personaliter interesset Dans & concedens eidem procuratori suo & sustituendis ab eo in predictis & circa predicta & quolibet predictorum plenum arbitrium & generale mandatum cum plena libera & generali Administratione agendi & exercendi omnia & singula suprascripta Promittens eidem procuratori suo & sustituendis ab eo & mihi notario infrascripto tanquam publice persone stipullanti & respondenti vice ac nomine omnio quorum interest uel interesse poterit quicquid per dictum procuratorem & substituendos ab eo actum & factum fuerit perpetuo habitura firmum & ratum Insuper ipsum & substituendos ab eo ab omni satisdationis onere releuare Et ex nunc releuans promisit mihi notario ut supra de Iudicio Sisti & Iudicatum soluendo Sub ypoteca & obligatione omnium suorum *(bonorum)*.

PRO DEMETRIO GRECO CONTRA PETRUM BALISTARIUM

Die XVI mensis Marcij In Statione magistri Tome barberij presentibus Ser Ançelino bonfiolo de Florentia Nicolao Tomasini de Vegla predicto Magistro Toma omnibus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus

ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Petrus balistarius quondam Iohannis salariatus dicte terre Fluminis fuit contentus & confessus se habuisse ac recepisse a demetrio greco de Candia botario habitatore Arimini vassa decem magna plena vino & cartiçata et duos vasellos cartiçatos et vnum cum claui in ratione solidorum quadraginta quatuor pro singulo modio Qui demetrius coram suprascriptis testibus fuit contentus & confessus se habuisse ac manualiter recepisse pro parte solutionis dicte quantitatis vini a dicto petro ducatos quadraginta auri et libras quadraginta septem cum dimidio paruorum pro decem pellibus in ratione solidorum nonaginta quinque pro singula pelle Residuum vero precij siue valoris dicte quantitatis vini dare & soluere promisit dictus petrus balistarius prefati demetrio per totum mensem Madij proxime futurum sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta*).

PACTA TOMASINI & NICOLAI ÇOPICH

Die XVIIII mensis Marcij In Via publica ante domum infrascripti Nicolai Tomasini presentibus Iudice Vito quondam Ser Matchi Iudice Mauro Vidonich Iudice Damiano quondam Matei Teodoro quondam dominici omnibus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Nicolaus Çopich considerans quod multo melius est quod muralee destructe edificentur quam vacue persistant fecit tale pactum & questionem cum Nicolao Tomasini de Caldana de Vegla videlicet quod prefatus Nicolaus Tomasini debeat omnibus suis sumptibus & expensis edificare domum solaratam super muralea prelibati Nicolai çopich & ipsam cupis siue tegulis coperire prout ipsi Nicolao Tomasini melius videbitur et quod dictus Tomasinus dare & soluere debeat singulo anno annuatim libras decem que diffalcari debeant de summa sumptuum & expensarum factorum supra dictam muraleam quam domum edificatam dictus Tomasinus tenere debeat quousque summa dictorum sump-

*) Cancellato, con in margine la nota: «1445 die XIII mensis octobris cancellatum fuit presens Instrumentum de voluntate partium presentibus Bartolomeo Matiucij de Firmo et Blasio cerdone quondam Antonij testibus ad hec uocatis & rogatis — Ego Antonious cancellarius scripsi».

tuum & expensarum erat soluta diffalcando singulo anno libras decem paruorum ut supra.

PARS CAPTA PRO DECIPIENTIBUS IN LUDO

Die XXVII mensis Marcij In Statione Iudicis Nicolai micolich Cum luseres in ludis ut plurimum fraudes & deceptione committant quibus bonum est obseruare tum Iura deceptis subuenire conentur Hinc est quod generosus vir dominus Iacobus Raunacher Capitaneus Nobiles viri Ser Ambrosius cresolich et ser Vitus Matronich ad presens Iudices & consilium terre Fluminis Sci Viti pro bono statu dicte terre Fluminis Statuerunt & ordinauerunt quod siquis luderit cum falsis taxillis soluat pro pena libras L.ta cuius Pene tercia pars sit accusatoris videlicet si in iudo taxillorum aut cartarum aut alio... ludo aliquis aliquam falsitatem committeret soluat pro pena libras octo & restituat totum id quod vicerit illi cui vicerit.

PROCURA COMMISSARIORUM LUCE CIUIS CASTUE IN NICOLAUM DE GRISIGNANA

Die penultimo mensis Marcij Castue Iuxta Ecclesiam Sce trinitatis presentibus Çupano Filipo quondam Chirini Martino michalich petro Suetinich omnibus habitatoribus castue testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iudex Chirinus Spinçich iohannes Sermanich & Drasigna poglainich omnes de Castua tanquam commissarij Luce bachiacij ciuis castue uti clare constat testamento dicti Luce translato de litera Sclaua in literam latinam per me notarium infrascriptum omni via modo iure & forma quibus magis & melius sciuerunt ac potuerunt fecerunt constituerunt creauerunt & ordinauerunt Nicolaum habitatorem Grisignane et nepotem Ser Nigri de Grisignana absentem sed tanquam presentem suum uerum & legitimum procuratorem actorem factorem & certum nuncium specialem presertim ad exigendum & recuperandum A Stefano Sclauo habitatore grisignane et quacumque alia persona omnem & singulam pecunie quantitatem res & quecumque alia que quomodocumque ipsis constituentibus nomine quo supra dare tenerentur et de per eum receptis finem dimissionem quietationem & pactum de vlterius non petendo cum solemnitatibus necessarijs faciendum Et ad comparendum si opus fuerit coram domino potestate Grisignane & quocumque alio Iudice tam ecclesiastico quam seculari Ad agendum petendum

respondendum libellos & petitiones dandum & recipiendum terminos & dillationes petendum testes scripturas & alia iura sua producendum sententias audiendum & eas executioni mandare faciendum Et generaliter &c Dans & Promittens &c.

PROCURA FRANCISCI DICTI FRANCHI DE FIRMO

Die secundo mensis Aprilis In Terra Fluminis Sci Viti In domo habitationis Ser Ade Antonij de Firmo presentibus dicto Ser Adam Gaspare eius fratre Bartolomeo Matiucij de Firmo omnibus ad presens habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Franciscus filius Ser Grisostomi quondam Magistri Simonis de Firmo omni via modo iure & forma quibus magis & melius ac efficacius sciuit ac potuit fecit constituit creauit & ordinauit prefatum Ser Grisostomum patrem suum absentem sed tanquam presentem suum uerum legitimum procuratorem actorem factorem & certum nuncium specialem & quidquid melius dici ac censeri potest specialiter et nominatim ad contrahendum sponsalia et matrimonium cum honesta domina Casandra filia prouidi viri Ser Antonij Pacharoni de Firmo siue cum ipso ser Antonio nomine ac vice predicte Casandre filie sue Et ad omnes & singulas promissiones conuentiones obligationes et pacta in talibus & circa talia oportunas & necessarias cum penis & solemnitabus requisitis & requirendis faciendum Et generaliter &c Dans &c Promittens eidem procuratori suo & mihi notario infrascripto tanquam publice persone stipullanti & recipienti vice ac nomine omnium quorum interest uel interesse poterit quicquid per dictum procuratorem actum & factum fuerit perpetuo habiturum firmum & ratum Insuper ipsum ab omni satisdationis onere releuare cum obligaitone omnium suorum bonorum presentium & futurorum.

PRO FRANCHO CONTRA IUDICEM MAURUM

Die sexto mensis Aprilis In Terra Fluminis Sci Viti In Statione Petri marini quondam rimidij de Firmo presentibus Antonio Ser Santis de Pensauro Magistro Toma barbitonsore quondam Iohannis de labaco testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iudex Maurus Vidonich per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus omni exceptione iuris uel facti remota se iuste teneri & dare debere Francisco magistri Grisostomi de Firmo presenti stipullanti & recipienti vice

ad nomine suprascripti Petri marini ducatos nonaginta quatuor boni auri & iusti ponderis & solidos sexanginta tres paruorum Et hoc pro oleo habito a dicto Francisco Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato Francisco nomine quo supra usque ad festum Sci Georgij proxime futurum Sub pena quarti Hac condicione addita quod presentibus suprascriptis testibus Iudex Nicolaus micolich se constituit plegium & fideiussorem pro dicto Iudice Mauro pro suprascripta pecunie quantitate si et in quantum prefatus Iudex Maurus non fuerit concors cum predicto Petro marino aut cum Ser Riçardo quondam ludouici de Firmo Quem Iudicem Nicolaum prefatus Iudex Maurus promisit seruare indennem a suprascripta plegiaria seu fideiussione cum obligatione omnium suorum bonorum.

PRO ADAM DE FIRMO CONTRA GREGORIUM CONOPSE DE LOS

Die octauo mensis Aprilis In Statione Ser Ade Antonij de Firmo presentibus Nicolao Tomasini de Vegla georgio strachouich ambobus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Gregorius conopse de los cum obligatione omnium suorum bonorum per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere suprascripto Ser Ade de Firmo libras quadraginta nouem & solidos duodecim paruorum Et hoc pro oleo habito a dicto creditore quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori usque ad festum pentecostes proxime futurum Sub pena dupli cuius pene medietas sit dominij per quod prefatus debitor cogetur ad soluendum & altera medietas prefati creditoris Renuncians prefatus debitor omnibus & singulis ferijs consuetudinibus & statutis qui essent contra presens Instrumentum debiti Pena autem soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta.

PROCURA ANTONIJ SANTIS DE PISAURO IN BARTOLOMEUM

Die nono mensis Aprilis in publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Iudice Vito quondam Matcho Toma barbitonsore quondam Johanis de labaco ambobus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Antonius Ser Santis pa-

terne de pisauro omni via modo iure & forma quibus magis & melius sciuit ac potuit fecit constituit creauit & ordinauit Bartolomeum Matiucij de Firmo presentem & infrascriptum mandatum sponte suscipientem suum verum & legitimum procuratorem actorem factorem & certum nuncium specialem presertim ad exigendum & recuperandum a quacumque persona sibi dare debenti in dicta terra Fluminis & de per eum receptis finem dimissionem & pactum de vlterius non petendo cum solemnitatibus necessarijs *(faciendum)* et Ad comparendum si opus fuerit &c et ad disponendum & ordinandum domos dicti constituentis & vineam prout in commissione scripta manu dicti constituentis & data dicto procuratori continetur Et generaliter &c Dans &c Promittens &c.

PRO IUDICE NICOLAO & IUDICE VIDACIO

Die XII mensis Aprilis In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Iudice Mauro Vidonich Iudice Stefano blasinich testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iudex Vitus Çouanich per se suosque heredes fuit contentus & confessus se habuisse ac manualiter recepisse a Iudice Nicolao micolich nomine ac vice Magnifici domini nostri de Valse ducatos viginti auri pro parte solutionis ducatorum sexaginta.

PROCURA ADE DE FIRMO IN BARTOLOMEUM FRATREM SUUM

Die XIII mensis Aprilis In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Bartolomeo Matiucij de Firmo Francisco magistri Grisostomi de Firmo ambobus ad presens mercatoribus in dicta terra Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Ser Adam Antonij de Firmo ad presens mercator in dicta terra Fluminis omni via modo iure & forma quibus magis & melius sciuit ac potuit fecit constituit creauit & ordinauit Bartolomeum Antonij de Firmo fratrem suum absentem sed tanquam presentem suum verum & legitimum procuratorem actorem factorem & certum nuncium specialem presertim ad faciendum cassare annichilare annullare cancelare et abolere Instrumentum siue scripturam obligationis siue promissionis facte dicto constituenti pro Filipucio Bonacorsij de montesancto occasione dotis date a dicto constituente Elene olim ancile sue & nunc uxori Benedicti georgij habitatoris montis sancti et omnes & singulos contractus inter prefatum constituentem et predictum Filipicium quauis causa confectos cum solemni-

tatibus necessarijs Et generaliter &c Dans &c Promittens eidem procuratori suo & mihi notario tanquam publice persone stipullanti & respondenti vice & nomine omnium quorum interest uel interesse poterit quicquid per dictum procuratorem actum & factum fuerit perpetuo habiturum firmum & ratum cum obligatione omnium suorum bonorum.

PRO IUDICE NICOLAO CONTRA IACOBUM & ÇANINUM HABITATORES ANCONE

Die XIIII mensis Aprilis In Terra Fluminis Sci Viti In Statione infrascripti Iudicis Nicolai micolich presentibus Ser Antonio quondam Simonis de terentijs de Pisauro Nicolao Tomasini de Vegla Grisanus quondam Iudicis Martini de Pago omnibus ad presens habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Magister Iacobus carpentarius quondam Antonij de Ortona habitator Ancone et Magister Çaninus carpentarius quondam Antonij de Venetijs habitator Ancone simul & in solidum sponte libere ex certa scientia non per errorem omni exceptione iuris uel facti remota per se suosque heredes & successores fuerunt contenti & confessi se iuste teneri & dare debere Iudici Nicolao micolich ciui dicte terre Fluminis presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos centum & nonaginta boni auri & iusti ponderis Et hoc pro vno nauigno habito a dicto creditore quos quidem ducatos prefati debitores & quilibet eorum in solidum dare & soluere promiserunt prelibato creditori siue eius nuncio aut cui prelibatus creditor ordinabit siue scribet in Ciuitate Ancone usque ad decimum diem mensis Maij proxime futuri Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta.

Die XVI mensis Aprilis In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus presbytero Gaspare cresolich Iudice Iurcho de Dreuenico Vito mateieuich omnibus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Cilius filius magistri Bartolomei tinctoris de Venetijs in contracta Sce Marine....

PRO ÇILIO TINCTORE CONTRA TOMASINUM

Vtrascriptis die loco ac testibus Nicolaus Tomasini de Vegla ad presens habitator dicte terre Fluminis sponte

libere ex certa scientia non per errorem omni exceptione iuris uel facti remota per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Çilio filio magistri Bartolomei tinctoris de Venetijs in contracta Sce Marine presenti stipullanti & recipienti vice ac nomine prefati Bartolomei patris sui eiusque heredum ducatos viginti boni auri & iusti ponderis Et Hoc pro rebus habitis a dictis Çilio & Bartolomeo patre suo Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit prefatus debitor predicto Çilio nomine quo supra usque ad festum Sci Georgij proxime futuri Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta.

PRO PRESBYTERO VITO SCOLICH & PRESBYTERO ANTONIO VISIGNICH CONTRA IUDICEM DAMIANUM

Die XXI.o mensis Aprilis In Statione mei notarij infrascripti presentibus Iudice Stefano blasinich Rafaele de Fossambruno testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iudex Damianus quondam matei obligauit & pro speciali pignere designauit presbytero Vito scolich & presbytero Antonio Visignich presentibus & pro se suisque heredibus stipullantibus suam stuban et ortum medium in luchi pro plegiaria seu fideiussione quam fecerunt pro ipso Iudice Damiano Valentino iurlinouich pro tribus vassis vini que dictus Iudex Damianus emit a dicto Valentino.

PRO MARTINO COXAR CONTRA VITUM SARCTOREM & EIUS FILIUM

Die XXVI mensis Aprilis In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Nicolao çopich Vito mateieuich testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Vitus sarctor & eius filius presbyter Alexander fuerunt contenti & confessi se habuisse ac recepisse a Martino coxar vnum vasellum vini albi tenute modiorum duodecim uel circa siue plus aut minus prout reperietur in mensura pro precio & nomine precij solidorum octoaginta quatuor pro singulo modio Quod precium siue valorem vini dare & soluere promiserunt dicti debitores prefato creditori usque ad festum Sci Michaelis de mense septembris proxime futuri Et ad maiorem cautelam prefati creditoris dicti debitores eidem dederunt et pro speciali pignere designarunt domum prefati presbyteri Alexandri iuxta Georgium cigantich.

PRO IUDICE NICOLAO CONTRA PINCHO DE LACH

Die XXVI mensis Aprilis In Terra Fluminis Sci Viti In Statione infrascripti Iudicis Nicolai creditoris presentibus Iohanne dicto Iagnaç Teodoro quondam dominici ambobus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Michael pincho de lach per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Iudici Nicolao micolich presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos viginti sex boni auri & iusti ponderis & solidos sexaginta duos paruorum Et hoc pro oleo habito a dicto creditore Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori usque ad festum assumptionis Beate Marie Virginis proxime futurum Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta*).

PRO SUPRASCRIPTO CONTRA PETRUM MATÇICHO DE LACH

Vltrascriptis die loco ac testibus Petrus Matiçicho de lach per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Iudici Nicolao micolich presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos viginti tres boni auri & iusti ponderis et solidos octoaginta octo paruorum Et hoc pro oleo habito a dicto creditore Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori usque ad festum assumptionis beate Marie Virginis proxime futurum Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta.

PRO SUPRASCRIPTO CONTRA GEORGIUM CHLAICH DE LACH

Vltrascriptis die loco ac testibus Georgius chlaich de lach per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Iudici Nicolao micolich presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos vndecim boni

*) Cancellato, con in margine la nota: «1446 die XI Iulij presente Tomaio de lach alegreto testibus &c cancelatum fuit presens Instrumentum debiti de voluntate creditoris — Ego Antonius cancellarius scripsi».

auri & iusti ponderis & solidos XV cim Et hoc pro oleo habito a dicto creditore Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori usque ad festum assumptionis beate Marie virginis proxime futurum Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta.

PRO BARTOLOMEO PARUNGER CONTRA IUDICEM NICOLAUM

Vltrascriptis die ac loco presentibus Mateo de Selça et gregorio filio magistri Stefani de labaco testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iudex Nicolaus micolich per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Bartolomeo parunger de Noninbergo habitatori labaci presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos centum boni auri & iusti ponderis Et hoc pro ferro habito a dicto creditore Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori usque ad festum Sce Malgarite proxime futurum Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum qua pena &c.

PACTA SUPRASCRIPTORUM

Vltrascriptis die loco ac testibus prefatus Bartolomeus promisit & se obligauit dare et consignare in dicta terra Fluminis predicto Iudici Nicolao micolich miliaria ferri boni et mercimonialis usque ad festum Sce Malgarite proxime futurum pro quibus quidem decem miliarijs ferri predictus Iudex Nicolaus eidem dare debet oleum pro illo precio quo a dicto Iudice Nicolao accipet Vitus spinglauaç Pro quibus omnibus & singulis suprascriptis sic firmiter obseruandis attendendis & adimplendis vna pars alteri adinuicem obligauit omnia sua bona mobilia & immobilia presentia & futura.

PRO ADAM DE FIRMO CONTRA MATEUM SOSTER DE LACH

Die XXVI mensis Aprilis In Terra Fluminis Sci Viti In Statione infrascripti Ade creditoris Presentibus Jarneio clobuçich Filipo arel ambobus de lach testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Mateus Soster de lach per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Ade Antonij de Firmo

presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos viginti octo boni auri & iusti ponderis et solidos viginti octo paruorum Pro oleo habito a dicto creditore Pro qua quidem pecunie quantitate dare & consignare promisit dictus debitor dicto creditori tantum ferrum siue clauos quantum ascendat ad suprascriptam pecunie quantitatem usque ad festum Sci Iohannis baptiste de mense Iunij proxime futuro Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta.

PRO SUPRASCRIPTO ADAM CONTRA FILIPUM AREL DE LACH

Die & loco prescriptis presentibus Mateo Soster Iarneio clobuçich ambobus de lach testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Filipus arel de lach per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Ade Antonij de Firmo presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos duodecim boni auri & iusti ponderis pro oleo habito a dicto creditore pro qua quidem pecunie quantitate dare & consignare promisit dictus debitor prefato creditori in dicta terra Fluminis tot clauos quot ascendit ad suprascriptam pecunie quantitatem usque ad festum Sci Michaelis de mense septembris proxime futurum sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta.

PRO NICOLAO ÇANETICH CONTRA IUDICEM MATEUM

Die prescripto In Castro terre Fluminis Sci Viti presentibus Stefano mortath teodoro quondam Dominici Laurentio marinario quondam blasij omnibus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iudex Mateus quondam Ser donati sponte libere ex certa scientia non per errorem omni exceptione iuris uel facti remota per se suosque heredes &successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Nicolao çanetich de Selça presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos octoaginta tres boni auri & iusti ponderis Et hoc pro ferro et clauis habitis a dicto creditore Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori usque ad quatuor annos proxime futuros videlicet singulo anno quartam

partem Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta*).

PRO FRANCHO CONTRA IUDICEM IURCHUM

Die secundo mensis Maij In Terra Fluminis Sci Viti In Statione petri marini quondam Rimidij de Firmo presentibus Iudice Tonsa quondam Ser Nicole Gaspare Antonij de Firmo Bartolomeo Matiucij de Firmo Martino çaninich omnibus ad presens habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iudex Georgius de Dreuenico ciuis dicte terre fuit contentus se habuisse ac manualiter recepisse a Francisco Grisostomi de Firmo nomine ac vice suprascripti petri marini de Firmo ducatos septuaginta auri Et hoc pro complemento solutionis domus quam prescriptus Petrus marinus emit a predicto Iudice Georgio positam in dicta terra Fluminis.

PRO ADAM DE FIRMO CONTRA GREGORIUM CONOPSE & IOHANNEM BARLECH

Die quarto mensis Maij In terra Fluminis Sci Viti in via ante Monasterium Sci Augustini presentibus presbytero Iacobo de Grobinico Chirino spinçich de Castua testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Gregorius conopse de los & Iohannes barlech simul & in solidum per se suosque heredes & successores fuerunt contenti & confessi se iuste teneri & dare debere Ade Antonij de Firmo presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatis viginti quatuor boni auri & iusti ponderis et solidos quadraginta vnum Et hoc pro oleo quod dictus Gregorius habuit a prefato Adam creditore quam quidem pecunie quantitatem dare et soluere promiserunt dicti debitores & quilibet eorum in solidum usque ad festum pentecostes proxime futurum Et si dictum gregorium uenire contigerit ad terram Fluminis ante terminum predictum soluere debet dicto creditori Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta.

---

*) Cancellato, con in margine la nota: «Cancelatum fuit presens Instrumentum debiti de voluntate creditoris presentibus presbytero Vito melcherich et Iudice Nicolao micolich testibus ad hec uocatis & rogatis — Ego Antonius cancellarius scripsi».

PRO IUDICE NICOLAO MICOLICH ET IURLINO DE STAYN

Die septimo mensis Maij In Terra Fluminis Sci Viti presentibus presbytero Vito scolich Iohanne marnich ambobus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iurlinus crouath de Stayn dare & consignare promisit in dicta terra Fluminis Sarcinas viginti ferri boni et mercimonialis de Ospergo Iudici Nicolao micolich presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus Et hoc pro precio & nomine precij ducatorum tresdecim auri cum dimidio pro singulo miliario ita tamen quod prefatus Iurlinus in tota dicta quantitate ferri dimittere debet predicto Iudici Nicolao ducatum vnum auri Quam quidem ferri quantitatem dare & consignare promisit dictus Iurlinus dicto Iudici Nicolao in dicta terra Fluminis usque ad decimumseptimum diem mensis Iunij proxime futuri Sub pena quarti Qui quidam Iurlinus accipere debet a dicto Iudice Nicolao in valore dicte quantitatis ferri Çabros sex olei pro ducatis vigintisex auri et pro residuo valoris dicte quantitatis ferri idem Iudex Nicolaus prefato Iurlino promptam pecuniam. Et coram suprascriptis testibus prefatus Iurlinus fuit contentus et confessus se habuisse ac recepisse a dicto Iudice Nicolao ducatos quadraginta quinque auri in suprascripta ratione ferri Pro quibus omnibus & singulis suprascriptis sic firmiter obseruandis attendendis & adimplendis vna pars alteri adinuicem obligauit omnia suo bona mobilia & immobilia presentia & futura*).

PROCURA IUDICIS NICOLAI IN EIUS FRATREM IACOBUM

Die VIII mensis Maij in littore ante portam terre Fluminis Sci Viti presentibus Iudice Vito matronich Iudice Georgio de Dreuenico Blasio quondam petri omnibus ciuibus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iudex Nicolaus micolich ciuis dicte terre Fluminis omni via modo iure & forma quibus magis & melius sciuit ac potuit fecit constituit creauit & ordinauit Iacobum fratrem suum presentem & infrascriptum mandatum sponte suscipientem

*) Cancellato, con in margine la nota: «1445 die secundo mensis octobris cancelatum fuit presens Instrumentum de voluntate partium presentibus Iohanne Matiucij de Firmo & Bartolomeo eius fratre testibus ad hec uocatis & rogatis — Ego Antonius cancellarius scripsi».

suum verum & legitimum procuratorem actorem factorem & certum nuncium specialem presertim ad exigendum et recuperandum a Magistro Georgio muratore quondam demitrij de Iadra omnem et singulam pecunie quantitatem res et quecumque alia que quomodocumque ipsi constituenti dare teneretur & de per eum receptis finem dimissionem quietationem pactum de vlterius non petendo cum solemnitatibus necessarijs *(faciendum)* Et ad comparendum si opus fuerit coram quocumque rectore ac Iudice tam ecclesiastico quam seculari ad agendum petendum respondendum libellos & petitiones dandum & recipiendum terminos & dillationes petendum testes scripturas & alia iura sua producendum sententias audiendum & eas executioni mandare faciendum Et generaliter &c Dans &c Promittens &c.

PRO ADAM DE FIRMO CONTRA AUGUSTINUM DE BUCHARO

Die XV mensis Maij In Statione Bartolomei Matiucij de Firmo presentibus dicto Bartolomeo Petropaulo eius filio ambobus ad presens habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Augustinus Stiglich de bucharo per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Ade Antonij de Firmo presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos sex boni auri & iusti ponderis Et hoc pro vna lorica habita a dicto creditore Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori usque ad festum assumptionis beate Marie Virginis proxime futurum Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta.

PRO IUDICE IURCHO DE BERBERIO

Die XVIII mensis Maij In terra Fluminis Sci Viti In Monasterio Sci Augustini presentibus presbytero Iohanne Sibolçich de Berberio Iudice Georgio quondam Iudicis Stefani de dreuenico testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iudex Vitus matronich sponte libere ex certa scientia non per errorem omni exceptione iuris uel facti remota per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se Iuste teneri & dare debere Iudici Georgio micolotich de Berberio presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus

ducatos centum et quadraginta auri nomine mutui Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori ad omnem requisitionem ipsius creditoris Et ad maiorem cautelam predicti creditori dictus debitor eidem obligauit & pro speciali pignere designauit pignera infrascripta videlicet domum in qua habitat cum duobus suis ortis positis ante ipsam domum et suam vineam in coxala et vineam suam que dicitur dolçich in bergudo et vnum suum ortum positum in Goiacho cum omnibus pertinentijs dictarum possessionum hac condicione & pacto quod dictus debitor non valeat nec possit prefatas possessiones alicui persone impignerare vendere nec allienare Et si dicte possessiones non sufficerent ad satisfactionem suprascripti debiti prefato creditori idem debitor uult posse compelli usque ad integram satisfactionem suprascripti debiti Qui quidem debitor coram testibus suprascriptis dixit asseruit et confessus fuit qualiter suprascriptum debitum fuit contractum Anno domini MCCCCXXXVIII die decimoquinto mensis augusti et quod eodem millesimo ac die prefata pignera eidem creditori ipse debitor designauit pro suprascripto debito ut supra.

PRO NICOLAO SINIBALDI CONTRA FIDEIUSSORES VITI MATRONICH

Die vigesimo mensis Maij In terra Fluminis Sci Viti In Statione Iudicis Nicolai micolich presentibus Ser Adam Antonij de Firmo Grisano quondam Iudicis Martini de Pago ambobus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uccatis & rogatis ac alijs Ibique cum homines hominum causa fuerint generati unde legitur alter alterius onera portate Hinc est quod Ser Nicolaus Sinibaldi de Fuligno misericordia plenus videns anxietates quas Paulus Antonius de Recanato patiebatur in petendo et exigendo A Vito matronich de dicta terra Fluminis ducatos trigintavnum auri quos eidem paulo dare tenebatur pro parte solutionis trium miliariorum ferri Considerans etiam prefatus Nicolaus preces ipsius pauli ipsum precantis immensum quod prefatos ducatos XXXI soluere vellet ipsi paulo & expectare dicti Iudicis viti matronich fideiussores infrascriptos vsque ad terminum infrascriptum dedit soluit et numerauit prefato Paulo predictos XXXI ducatos auri his pactis & condicionibus quod predictus Iudex vitus quondam Ser Matchi Iudex Georgius de Dreuenico omnes ciues dicte terre Fluminis tanquam plegij et fideiussores dicti Iudicis viti matronich sponte

libere ex certa scientia non per errorem omni exceptione iuris uel facti remota per se suosque heredes & successores fuerunt contenti et confessi se iuste teneri & dare debere prelibato Nicolao Sinibaldi presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus et successoribus ducatos triginta vnum boni auri et Iusti ponderis quos ipse Nicolaus soluit predicto Paulo de Recanato ut supra Quam quidem pecunie quantitatem dare et soluere promiserunt pretacti tres fideiussores predicto Nicolao per totas nundinas futuras in dicta terra Fluminis in festo natiuitatis Sancti Iohannis baptiste proxime futuro Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta. Qui Iudex vitus promisit prefatos tres fideiussores soluere indennes a dicta plegiaria & fideiussione cum obligatione omnium suorum bonorum.

PRO VALENTINO IURLINOUICH CONTRA PRESBYTERUM VITUM SCOLICH & PRESBYTERUM ANTONIUM VISIGNICH

Die XVIII mensis Iunij In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Georgio glauinich Vidacio sartore testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Presbyter Vitus scolich & presbiter Antonius Visignich per se suosque heredes tanquam plegij & fideiussores Iudicis damiani quondam Matei de Iadra fuerunt contenti & confessi se iuste tereri et dare debere Valentino Iurlinouich presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus libras centum et septuagintaunam paruorum Et hoc pro tribus vassis vini que dictus Iudex Damianus habuit a prefato Valentino Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promiserunt dicti plegij prefato creditori usque ad festum Sci Michaelis de mense septembris proxime futuro Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena &c.

OBLIGATIO FAMULI PRO MATEO DE PAGO HABITATORE VENETIARUM

Die XXII mensis Iunij In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Iudice Georgio de dreuenico Vito sartore quondam Stefani Petro sartore quondam Blasij de Iadra omnibus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique lucas quondam Iohannis de bichachio non vi non metu sed sua spontanea voluntate se concordauit & obligauit ad standum et seruien-

dum Mateo quondam Iohannis de Pago habitatori Venetiarum per vnum annum proxime futurum his pactis & condicionibus quod dictus Lucas teneatur & debeat bene diligenter & fideliter seruire predicto Mateo et ipsi tanquam domino & patrono suo obedire per totum prefatum tempus vnius anni Et predictus Mateus teneatur & debeat dare dicto Luce vitum competentem & vnam Gonelam et vnum barilotum de Griso siue de Rassia et duo paria caligarum de rassia duas interulas duas serabulas duo paria subtellarium Et ducatos octo boni auri et iusti ponderis pro suo salario siue labore Volens dictus Lucas compelli realiter e personaliter ad obseruandum omnia & singula suprascripta Venetijs Ancone Segne & vbique locorum Promittens vna pars alteri adinuicem omnia et singula suprascripta attendere & adimplere Sub pena librarum XXV paruorum cum obligacione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta.

PROTESTUS IUDICIS VITI ROSSO

Die septimo mensis Iulij In Statione Iudicis Nicolai micolich presentibus Iudice Mauro Vidonich Iudice Tonsa quondam Ser Nicola testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Coram Nobilibus dominis Iudice Ambrosio quondam Ser Marci Iudice Vito matronich comparuit Iudex Vitus quondam Ser Matchi asserens & dicens qualiter locauit & affictauit partem suam Molendinorum & secce et valce nominatorum Volchouo Selo usque ad certum terminum Simoni pilar hoc pacto quod dictus Simon debeat ac teneatur restituere prelibato Iudici Vito predictam partem Molendinorum secce & valche talem qualem acceperit et quia intellexit quod dicte res vadunt Idcirco prefatus Iudex Vitus quondam Matchi fuit protestatus contra dictum Simonem absentem sed tanquam presentem de ducatis octoaginta auri pro dicta parte molendinorum secce & valche.

PRO PAULO CONOPSE CONTRA IUDICEM DAMIANUM

Die XI mensis Iulij In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Iudice Mauro Vidonich Rafaele de Fossambruno testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iudex Damianus quondam Matei de Iadra per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Paulo conopse de los presenti stipullanti & recipienti

pro se suisque heredibus & succesoribus libras tresdecim paruorum Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori usque ad festum Sci Michaelis de mense septembris proxime futuro Sub pena quarti cum obligacione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta.

OBLIGATIO FAMULI PRO MAGISTRO ANTONIO MURATORE DE PISAURO

Die XVIII mensis Iulij In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Iudice Nicolao micolich Iudice Tonsa quondam Ser Nicole ambobus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iohannes quondam Antonij de brumne non vi non metu sed sua spontanea voluntate se concordauit et obligauit ad standum cum magistro Antonio muratore quondam Agnoli de pisauro presente et acceptante pro quatuor annis proxime futuris his pactis & condicionibus quod dictus Iohannes teneatur & debeat bene diligenter & fideliter servire predicto magistro Antonio et ipsi tanquam patrono suo obedire per totum prefatum tempus quatuor annorum Et predictus magister Antonius teneatur & debeat dare dicto Iohanni toto dicto tempore vitum competentem et soluere eidem Iohanni libras centum et viginti paruorum Promittens vna pars alteri adinuicem omnia & singula suprascripta attendere & observare Sub pena librarum quinquaginta paruorum cum obligatione omnium suorum bonorum cuius pene medietas deuenire debeat dominio siue regimini per quod pars contrafaciens cogetur ad attendendum et obseruandum suprascripta et altera medietas parti obseruanti Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta.

PRO VITO MATEIEUICH CONTRA MATEUM CERSATH

Die XX.o mensis Iulij In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Iudice Vito matronich Iudice Cosma radolich testibus ad hec uocatis & rogatis Ibique Mateus cersath per se suosque heredes fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Vito mateieuich presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus libras vigintiquatuor et solidos septem paruorum pro vno çopulo his pactis & condicionibus quod si dictus Mateus dictos denarios non soluerit usque ad decimum octauum diem mensis Augusti proxime futuri quod tunc

& eo casu Çopulus.... sit ipsius Viti & dictus Mateus teneatur & debeat soluere singula die duos solidos pro affictu dicti Çopuli incipiendo soluere affictum a die suprascripta usque ad illam diem qua predictus Vitus çopulum rehabuerit cum obligatione omnium suorum bonorum*).

PRO GRISANO CONTRA FILIPUM DE POLA

Die XXI mensis Iulij In terra Fluminis Sci Viti In Statione infrascripti grisani creditoris presentibus marco cersatich Paulo benchouich ambobus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Filipus filius Iacobi Sgargaia de pola sponte libere ex certa scientia non per errorem omni exceptione iuris uel facti remota per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri &dare debere Grisano quondam Iudicis Martini de Pago presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus libras centum et quadragintaduas paruorum et solidos decem et hoc pro lignaminibus habitis a dicto creditore Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori usque ad festum assumptionis beate Marie virginis proxime futurum Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta.

PRO IUDICE NICOLAO CONTRA PETRUM BALISTARIUM

Die XXII mensis Iulij In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Georgio glauinich Valentino Iurlinouich testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique magister Petrus balistarius quondam Iohannis habitator dicte terre Fluminis per se suosque heredes & successores fuit contentus et confessus se iuste teneri & dare debere Iudici Nicolao micolich stipullanti & recipienti pro se suosque heredibus & successoribus ducatos sexdecim boni auri & iusti ponderis et solidos viginti paruorum Et hoc per sex fasijs ferri habitis a dicto creditore Quam

---

*) Cancellato, con in margine la nota: «1447 die XXVII mensis Aprilis cancelatum fuit presens instrumentum debiti de voluntate creditoris presentibus Chirino spinçich et dominico carpentario testibus ad hec uocatis & rogatis — Ego Antonio cancellarius scripsi — Recepi pro aboletura a Iagnaç solidos duos.»

quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori per totum mensem Augusti proxime futuri Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta*)

PARS CAPTA PRO SENTENTIJS SCRIBENDIS

Die XXIII mensis Iulij In Lobia Comunis Terre Fluminis Sancti (sic) per Spectabilem et generosum virum dominum Iacobum Raunacher Capitaneum Iudices et consiliarios terre Fluminis Sancti Viti nemine discrepante capta fuit pars infrascripti tenoris videlicet quod a modo in antea Iudices qui sunt et qui pro tempore erunt sedere debeant in lobia comunis & alibi non singulo die non feriato in mane per vnam horam ad ius reddendum in ciuilibus petentibus et quod Sententie omnes & singule quas Regimen siue ipsi Iudices ferent scribi debeant per cancelarium siue alium eius loco existente videlicet incipiendo a libris tribus supra aliter nullius sint valoris & efficacie et similiter pene in ipsis sententijs datis nominate que scripte non erunt vane et casse sint nec debeant per Iudices siue aliquem ipsorum modo aliquo exigi nisi pena fuerit scripta per cancellarium.

PARS CAPTA PRO PROCURIS SCRIBENDIS

Vltrascriptis die ac loco per Spectabilem ac generosum virum dominum Iacobum Raunacher Capitaneum Iudices et consiliarios ordinatum & statutum fuit ad vitandum scandala et errores quod in futurum omnes procure & commissiones debeant scribi per cancelarium siue vicecancelarium cum testibus prout alia Instrumenta scribuntur aliter nullius sint valoris nec efficacie nec valeat aliqua persona cuiuscumque conditionis existat procurare nisi prius facta fuerit rogatio notarij etiam si coram domino capitaneo aut Iudicibus aut regimine dicte terre Fluminis aliquis constituerit aliquem procuratorem illa procura nullius sit valoris neque momenti nisi scripta fuerit per Cancellarium In presentia testium.

---

*) Cancellato, con in margine la nota: «1445 die 16 septembris cancelatum fuit presens Instrumentum debiti de voluntate creditoris presentibus Iacobo Misulich et Ser Castelino de pensauro testibus ad hec uocatis & rogatis — Ego Antonius cancellarius scripsi».

PRO ÇUPANO ANDREA CONTRA SER IOHANNEM DE BOCHINA

Die XXIII mensis Iulij In Terra Fluminis Sci Viti In Statione Iudicis Nicolai micolich presentibus ipso Iudice Nicolao Iudice Damiano quondam Matei testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique prouidus vir Ser Iohannes de Bochina de Cherso sponte libere ex certa scientia non per errorem omni exceptione iuris uel facti remota per se suosque heredes & successores dare & soluere promisit obligando se & omnia sua bona Çupano Andree quondam dominici Volcich de sco Vincentio presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos triginta quatuor boni auri & iusti ponderis & libras tres paruorum Quos quidem denarios dare & soluere tenebatur prefato creditori Iudex Mateus quondam Ser donati uti constat publico Instrumento scripto manu mei notari infrascripti de anno Instanti die XXV.to mensis febraurij Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit prelibatus Ser Iohannes predicto Çupano Andree siue Iudici Nicolao suprascripto usque ad festum Sci Martini proxime futurum Sub pena ducatorum decem cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta.

PRO ADAM CONTRA GREGORIUM CONOPSE

Die XVI mensis Augusti In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Valentino Iurlinouich Marco cortelada testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Gregorius conopse de los libere ex certa scientia non per errorem omni exceptione iuris uel facti remota per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Ade Antonij de Firmo presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos quatuordecim boni auri & Iusti ponderis et solidos nonagintaocto Et hoc pro oleo habito a dicto creditore Quam quidem pecunie quantitatem dare et soluere promisit dictus debitor prefato creditori usque ad festum Sci Michaelis de mense septembris proxime futuri Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta.

PRO VALENTINO CONTRA LUCAM CAUERTICH

Die prescripto in littore maris presentibus Iohanne coxarich Veneciano de Cregnino testibus ad hec uocatis &

rogatis ac alijs Ibique Lucas cauertich per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Valentino Iurlinouich presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus libras trigintasex et solidos quatuordecim paruorum usque ad vnum annum proxime futurum Sub pena quarti Et hoc pro quadam plegiaria seu fideiussione facta dicto Valentino pro Iohanne cauertich fratre dicti luce.

PROCURA GEORGIJ CONTOUICH

Die XVII mensis Augusti In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Iudice Vito matronich Ser Vito quondam Ser Matchi ambobus ciuibus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Georgius contouich ciuis dicte terre Fluminis omni via modo iure & forma quibus magis & melius sciuit ac potuit fecit constituit creauit & ordinauit Prouidum vir Antonium Iacobum quondam Marcelini de Ancona absentem sed tanquam presentem suum uerum & legitimum procuratorem actorem factorem & certum nuncium specialem presertim ad exigendum & recipiendum a magistro Nicolao tinctore de partibus Sclauonie habitatore Ancone vnam integram peciam rassie subtilis brachiorum quinquagintaquatuor quam ipsi dimisit ut tingeret siue valorem dicte pecie rassie et de per eum receptis finem dimissionem quietationem & pactum de vlterius non petendo cum solemnitatibus necessarijs faciendum Et ad comparendum si opus fuerit coram domino potestate Ancone & alio quocumque Iudice Ad agendum petendum respondendum libellos & petitiones dandum & recipiendum terminos & dillationes petendum testes & scripturas & alia producendum Sententias audiendum & eas executioni mandare faciendum Et generaliter ad omnia alia & singula dicenda gerenda & procuranda que in predictis & circa predicta & quodlibet predictorum duxerit facienda & necessaria ac utilia videbuntur que & quemadmodum ipse constituens facere possit &c Dans &c Promittens &c.

PRO MATCHO VIDAÇ CONTRA IUDICEM DAMIANUM

Vltrascriptis die & loco presentibus Iudice Vito matronich Ser Mateo quondam Ser donati testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iudex damianus quondam Matei per se suosque heredes & successores fuit contentus &confessus se iuste teneri & dare debere Iudici Matcho Vidaç de labaco pre-

senti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos sexdecim boni auri et Iusti ponderis pro ferro habito a dicto creditore Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori usque ad carnispriuium proxime futurum Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta.

PRO PAULO LUSTALAR CONTRA IUDICEM ROSSUM

Die XVII mensis Augusti In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Iudice Vito matronich Iudice Mauro Vidonich testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iudex Vitus quondam Ser Matchi sponte libere ex certa scientia non per errorem omni exceptione iuris uel facti remota per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Paulo lustalar de labaco presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos centum boni auri et iusti ponderis Et hoc pro quadam plegiaria seu fideuissione facta dicto Paulo pro Iudice Mateo donadouich Quos quidem ducatos centum dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori usque ad festum natiuitatis domini nostri Iesu Christi proxime futurum Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta*).

PACTA BARTOLOMEI MATIUCIJ TE MATCHI VIDAÇ

Die XVII mensis Augusti In publica Fluminis Sci Viti In Statione infrascripti Bartolomei presentibus Iudice Mateo quondam Ser donati Andrea sidrouich de Albona testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Matchus Vidaç de labaco dare & consignare promisit Bartolomeo Matiucij de Firmo quadraginta milliaria ferri in dicta terra Fluminis in ratione ducatorum quatuordecim pro singulo milliario de qua quidem ferri quantitate dictus Bartolomeus fuit contentus & confessus habuisse ac recepisse a dicto Matcho Vidaç milliaria triginta quinque ferri

*) Cancellato, con in margine la nota: «1449 die vltimo mensis Maij cancelatum fuit presens Instrumentum debiti de voluntate creditoris presentibus Martino aurifice quondam Dominici & Nicolao Tomasini de Vegla testibus ad hec uocatis & rogatis — Ego Antonius cancellarius scripsi».

uel circa & residuum ferri dare & consignare debet usque ad festum Sce Marie proxime futurum Et idem Matchus fuit contentus & confessus habuisse ac recepisse a dicto Bartolomeo ducatos centum auri et alios centum ducatos auri dare & soluere promisit dictus Bartolomeus prefato Matcho Vidaç usque ad festum Sci Michaelis de mense septembris proxime futuro Et quod prefatus Matchus Vidaç recipere debeat a dicto Bartolomeo Milliaria septem olei in ratione ducatorum quadraginta quatuor pro singulo milliario Et quicquid residuum fuerit ad summam dicti ferri dictus Bartolomeus prefato Matcho dare & soluere teneatur usque ad festum natiuitatis domini nostri Iesu Christi proxime futurum Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta*).

COPIA LITTERE MISSE COMITI FRANCISCO SFORTIE

Vniuersis & singulis ad quos presentes aduenerit notum ac manifestum facimus Nos Iacobus Raunacher Capitaneus Iudices ac regimen terre Fluminis Sci Viti qualiter per Bergantinum Illustris Comitis Francisci Sportie exitum de portu Firmi noctu furtiue die decimooctauo mensis Iulij de anno MCCCCXXXXIII.o abstracte fuerunt vna Marciliana onerata mercancijs & vna charachia onerata ferro ac alijs mercancijs cuius quidem ferri decem milliaria & libre trecentum erant Iudicis Matei quondam Ser donati ciuis nostri vti idem suo affirmauit sacramento que Marciliana et Charachia erant armiçate ante terram Fluminis et habebant prouessios in terra et locus in quo erant portus est noster et semper omnibus barcis et nauigijs securus et francus extitit Quam ob causam misimus nuncium nostrum ad prefatum dominum Comiten Franciscum sperantes quod dictas Marcilianam & Charachiam contra omne iuris ac iustitie debitum de portu nostro furtiue ablatas vna cum mercancijs intus positis nuncio nostro restituere faceret Cui quidem nuncio nostro idem dominus Comes literas

*) Cancellato, con in margine la nota: «1446 die XXI.o mensis februarij cancelatum & aboletum fuit presens Instrumentum de voluntate ambarum partium presentibus testibus Iudice Mateo quondam Ser donati & Iudice Damiano quondam Matei — Ego Antonius cancellarius scripsi».

pro restitutione dictarum barcarum & rerum positarum intus contribuit uti in ipsis latius continetur Postmodum idem dominus Comes dictas barcas cum rebus intus positis detentas in portu Ancone reddere fecit illis qui ipsas acceperat contra tenorem litterarum suarum nulla precedente iusta causa Et quia Iohannes Matiucij de Firmo qui dicta decem milliaria et libras trecentas ferri vendiderat prefato Iudici Mateo ciui nostro & ipsi non fuerat persolutum Iustitiam aduersus prelibatum Iudicem Mateum maxima cum instantia petebat pro suprascripta ferri quantitate dictum Iudicem Mateum sententiauimus ad reddendum dictam ferri quantitatem prelibato Iohanni vnde predictus Iudex Mateus Coram Circumspecto millite domino Iohanne Reychenburger vicedomino Magnifici domini nostri exposuit omnia suprascripta Qui dominus Iohannes auditis suprascriptis nobis precepit non semel sed pluries quatenus Cogeremus illos de Firmo qui tunc mercantias in dicta terra Fluminis habuerunt quando prelibate barce accepte fuerunt per suprascriptum Bergantinum ad satisfactionem suprascripte quantitatis ferri & expensarum factarum per nuncium missum ad prelibatum dominum Comiten Franciscum Nos uero qui semper reputauimus reputamusque ciues Firmanos fratres et amicos nostros moram maximam protraximus ad exequendum mandata suprascripti vicedomini ac maioris nostri scribentes pluries litteras tam Magnifico Comiti Francisco quam Comunitati Firmane quatenus talem dignarentur facere prouisionem quod hec non sequerentur ne aliquod odium aut error oriretur inter Magnificum Comune Firmi et nos inter quos assidue viguit amor cui Comuni in omnibus pro posse parati sumus seruire Et cum nulla fieret prouisio & mandatum prefati vicedomini ac maioris nostri instaret ex eius mandato non tamen voluntarie coegimus mercancias Nobilis viri Ser Nicolai quondam Ser Antonij siue Petrinicole Et mercancias Ser Riçardi aut petrimarini Et mercancias Ser Tomasij de Firmo Et mercancias Ser Johannis Matiucij ad dandum prelibato Iudici Mateo Milliaria decem et libras 300 ferri & expensas factas per nuncium missum ad dominum Comiten Franciscum vnde quilibet eorum consignauit predicto Iudici Mateo duo milliaria et libras quingentas et septuaginta quinque ferri & ducatos quatuor et solidos centum et quinque pro expensis factis per nuncium predictum In quorum fidem et testimonium has presentes patentes litteras fidei iussimus nostrique Sigilli Sci Viti assueti impressione mu-

riri Datum In dicta terra Fluminis Sci Viti die XVII mensis Augusti Anno domini 1445. Indictione octaua.

TESTIFICATIO PRO HEREDIBUS QUONDAM MOYSI DE PAGO

Die XVI mensis Augusti In Curia domus heredum quondam Ser Moisi Coram domino Capitaneo et consilio terre Fluminis constitutus Nobilis vir Andreas posso testis productus per Nicolaum Raintalar et Martinacium dato eidem sacramento de veritate dicenda dixit et testificatus fuit quod nulla exedra debet esse in aliqua domo circa dictam Curiam qua respici possit in dictam curiam & quod mater ipsius testis bis uel ter fecit claudere exedras cuiusdam aurificis respicientes in dictam Curiam & quod aqua dicte Curie cursum habet per medium penoris Iudicis Cosme radolich et quod Mater dicti testis ad preces cuiusdam catelani concessit quod dicta aqua iret circa murum dicti Iudicis Cusme quousque dicte eius matris fuerit voluntas sed murus tunc non erat tam longus prout clare videtur.

PRO CHIRINO SPINÇICH CONTRA IURAÇ SARCTORE

Die XVIII mensis Augusti in publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Iacobo cigantich Mateo grohonaç testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Georgius sarctor quondam Stefani per se suosque heredes & successores tanquam plegius & fideiussor Pauli piliparij mariti Smolce fuit contentus et confessus se iuste teneri & dare debere Chirino spinçich presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus libras nonagintanouem Et hoc pro pellibus agnelinis quas dictus paulus habuit a prefato Chirino Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori usque ad festum natiuitatis domini nostri Iesu Christi proxime futurum Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia et singula suprascripta.

Copia cuiusdam Testificationis Assumpte per Generosum et Egregium Virum dominum Iacobum Raunacher honorabilem Capitaneum Terre Fluminis Sancti Viti super litte et differentia vertente et que versa est Inter illos de cerssato Ex una et Commu-

nitatem dicte Terre Fluminis uel eorum dominos scripte et anotate per me notarium Infrascriptum tamquam persona publica rogatum ut Inferius continetur cuius tenor talis est.

In Christi nomine Amen Anno natiuitatis Eiusdem Millesimo quadrigentesimo quadragesimo quinto Indictione octaua Die decimoctauo mensis augusti In terra Fluminis Sancti Viti In statione Iudicis Nicolai Micolich Presentibus Generoso Milite Domino Martino Raunacher Ser Iohanne de Bochina de Cherso Ser Iohanne Chatharinj De Lexina Ser Benenato notario quondam Ser Leopardi de Feltro habitatore Piranj Ser Franzono quondam Antonij de Anchona Georgio muratore quondam dimitrij de Iadra habitatore Arbj Ser Paulo Franciscj de Arimino testibus Ad hec uocatis & rogatis et alijs. Ibique Coram Spectabili et Generoso Viro domino Iacobo Raunacher honorabili Capitaneo dicte Terre Fluminis Dum constitutus foret Ser Vgolinus quondam Gujelmini de Arimino Testis assumptus In litte siue differentia que vertitur siue verti speraretur Inter Comunitatem Terre Fluminis predicte ex una parte et illos de cerssato ex altera siue Vtriusque partis dominos occaxione Ignis impositj per aliquem in domibus positis Vltra fluuium a parte cersatj Delatoque Eidem Testi Sacramento De Veritate dicenda Manibus tactis Scripturis Remotis odio amore timore prece uel precio Dixit et testificatus fuit qualiter de Anno proximo preterito die septemdecimo mensis Augusti Dum ipse esset in Rippa dicti Fluminis sub quadam arbore nucea Vidit quemdam Iuuenem Annorum Vigintiduorum uel circha se Transtulisse a parte Cersatj ad partem alteram Terre Fluminis predicte cum Vno Batello Cuiusdam de Fano Qui Iuuenis dixit Versus dictum Testem et alios qui astabant Ego aliter Nequiui me Vendicare De ducatis Decemocto et Vna Geornea (?) ac Vno parj calligarum michi ablatis per illos de Castro Cersatj nixi quia Imposui Ignem in illa Domo Demonstrando domum que tam ardebat Vltra fluuium. Interogatus de quibus partibus erat Ille Iuuenis respondit quod erat de partibus Sclauonie Sed fuerat ad stipendium in partibus Italicis Super alijs generalibus Interogatus recte respondit

Ego Andreas rat... ser Nicolai de dalmedel... de Treuixio publicus Imperialj auctoritate notarius et Iudex ordinarius his omnibus suprascriptis Interfuj et rogatus scripsi Signum meum consuetum apponens.

PRO DEMETRIO CONTRA MAURUM DE VINUSAL (?)

Die XVIIII mensis Augusti In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Petro glauinich Iacobo cigantich testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Maurus de Castro Muschlo per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Demitrio greco mercatori in dicta terra Fluminis presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus libras decem et septem et solidos octo paruorum Et hoc pro vino habito a dicto creditore Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori usque ad Dies decem proxime futuros Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta.

PRO BLASIO CERDONE CONTRA IACOBUM CERDONEM

Vltrascriptis die loco ac testibus Iacobus cerdo de Curçula habitator dicte terre Fluminis per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Blasio cerdoni quondam Antonij presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos decem et septem boni auri et iusti ponderis Et hoc pro vna muralea habita a dicto creditore Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori usque ad festum Sci Iacobi Apostoli de mense Iulij proxime futuro Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta.

PRO DOMINO MARTINO RAUNACHER CONTRA SER CASTELINUM

Die prescripto Sub arbore que est ante portam terre Fluminis Sci Viti presentibus Bartolo Misulich Iudice Nicolao Micolich et Iacobo eius fratre omnibus ciuibus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Coram Spectabili viro domino Iacobo Raunacher Capitaneo dicte terre Fluminis Ser Castelinus quondam Iohannis de Pisauro sponte libere ex certa scientia non per errorem omni exceptione iuris uel facti remota per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere generoso Milliti domino Martino Raunacher presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos sexaginta quatuor boni auri et Iusti ponderis nomine

mutui Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori a festo Sci Michaelis de mense septembris proxime futuro usque ad unum annum immediate sequentem Et a maiorem cautelam prefati creditoris dictus debitor eidem obligauit et pro speciali pignere designauit suas muraleas positas in dicta terra Fluminis iusta Suetinam Çupanich & muraleam positam in dicta terra Fluminis iusta Petrum Glauinich & Georgium Glauinich his pactis & conditionibus quod si dictus debitor prefato creditori usque ad dictum terminum non soluerit aut satisfecerit quod tunc & eo casu suprascripte muralee sint et esse debeant prefati creditoris nomine pure libere ac vere venditionis & de ipsis omnimodam facere possit voluntatem tanquam de rebus proprijs ab ipso bene emptis.

RECTIFICATIO SUPRASCRIPTI INSTRUMENTI

Die vltimo mensis septembris In Terra Fluminis Sci Viti In domo habitationis suprascripti Ser Castelini presentibus testibus suprascriptis Ibique domina Dobriça uxor predicti Ser Castelini non ui non metu sed sua spontanea voluntate affirmauit et rectificauit omnia et singula in suprascripto Instrumento contenta et dixit atque asseruit de ipsis fore contentam.

PRO IUDICE NICOLAO CONTRA MICHAELEM PINÇICHO

Die decimo mensis septembris In Terra Fluminis Sci Viti In Statione infrascripti creditoris presentibus Antonio rossouich Georgio golçach ambobus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Michael pinçicho de lach per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Iudici Nicolao micolich presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos viginti septem boni auri et iusti ponderis Et hoc pro oleo habito a dicto creditore Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori usque ad festum natiuitatis domini nostri Iesu Christi proxime futurum Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta*).

---

*) Cancellato, con in margine la nota: «presentibus Tomasio pirlart alegreto testibus &c cancelatum fuit presens Instrumentum debiti de voluntate creditoris 1446 die XV Iulij — Ego Antonius cancellarius scripsi».

PRO SUPRASCRIPTO CONTRA MICHAELEM COSSICH DE LACH

Vltrascriptis die loco ac testibus Michael Cossich de lach per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Iudici Nicolao micolich presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos duodecim boni auri & iusti ponderis et solidos vigintiocto Et hoc pro oleo habito a dicto creditore Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori usque ad festum natiuitatis domini nostri Iesu Christi proxime futurum Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta*).

PRO AMBROSIO QUONDAM MATCHI PILAR CONTRA IUDICEM DAMIANUM

Die XVI mensis septembris In Terra Fluminis Sci Viti In Statione Iudicis Nicolai micolich presentibus Iudice Vito barolich Georgio glauinich testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iudex Stefanus ruseuich Iudex Vitus matronich Iudex Mateus donadouich Teodorus quondam dominici & Iohannes belsterfar aurifex tanquam plegij et fideiussores Iudicis Damiani quondam Matei de Iadra fuerunt contenti & confessi se iuste teneri & dare debere Antonio muratori de Pisauro presenti stipullanti & recipienti vice ac nomine Ambrosij quondam Matchi Pilar eius famuli libras trecentos paruorum Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promiserunt prefati plegij dicto creditori per terminos infrascriptos, videlicet singulo anno libras quinquaginta paruorum in festo Circumcisionis domini nostri Iesu Christi usque ad integram satisfactionem suprascripti debiti. His pactis et conditionibus quo in quouis anno in dicto termino dictus Iudex Damianus prefato Antonio nomine quo supra non solueret quod tunc illo anno in dicto termino supradicti plegij soluere teneantur libras quinquaginta et vltra non intelligantur esse plegij neque fideiussores dicti Iudicis Damiani dando tamen prius ipsum Iudicem Damianum in carceribus in quibus esse debeat ad voluntatem siue petitionem prefati creditori usque ad integram satisfactionem suprascripti debiti.

---

*) Cancellato, con in margine la nota: «Die XV Iulij 1446 presentibus Tomasio pirlart alegreto testibus &c Cancelatum fuit presens Instrumentum debiti de voluntate creditoris — Ego Antonius cancellarius scripsi»

SENTENTIA PRO MAURO DE SCHURIGNA

Die XVIIII mensis septembris In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Georgio glauinich Cusma mulsetich testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iudex Cosmas radolich Iudex Vitus matronich Iudex Iurcho de Dreuenicho Michael obadich Teodorus quondam dominici et Curilus Pomicich arbitri & arbitratores Electi in lite que vertebatur inter Maurum schurinchiach & Stefanum mortath pro via quam habere volebat per vineam Sce barbare que dicitur dolaç quam habet ad liuellum a presbitero Gaspare dixerunt terminauerunt & sententiauerunt quod prefatus Stefanus et quicumque tenebat dictam vineam dolaç facere debeat viam a parte inferiori iuxta vineam predictam dolaç quantum tenet dictus dolaç usque ad vineam dicti Mauri ita commodosam quod equus cum sarcina possit apte pertransire & ipsam proprio aptare et si aliquando deficeret dicta via quod dictus Maurus siue ille qui tenebit vineam illam habere debet viam per vineam predictam que dicitur dolaç Quam Sententiam ibidem rectificauerunt prefati Stefanus mortath et Maurus.

PRO VALENTINO IURLINOUICH CONTRA IUDICEM IURCHUM

Die XXIIII mensis septembris In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Agabito diraçich Simone coxarich testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iudex Iurcho de dreuenico tanquam plegius & fideiussor Teodori quondam Dominici fuit contentus & confessus se habuisse ac recepisse A Valentino Iurlinouich vassa quatuor plena vino tenute modiorum quadraginta siue plus siue minus prout reperietur ad mensuram pro precio & nomine precij solidorum sexaginta trium paruorum pro singulo modio valorem cuius vini dare & soluere promisit prefatus Iudex Iurcho nomine quo supra usque ad festum Sci Iacobi de mense Iulij proxime futuri Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum.

PRO SUPRASCRIPTO VALENTINO CONTRA PAULUM MERCARIUM

Die XXVIIII mensis septembris In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Nicolao çopich Rafaele de Fossambruno Martino bechario omnibus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Paulus mercarius de Tinino habitator dicte

terre Fluminis sponte libere ex certa scientia non per errorem omni exceptione iuris uel facti remota per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Valentino Iurlinouich presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos quinquaginta boni auri & iusti ponderis nomine mutui Quam quidem pecunie quantitatem dare et soluere promisit dictus debitor prefato creditori usque ad festum pentecosten proxime futurum Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum precibus autem dicti Pauli se constituerunt plegij & fideiussores dicto Valentino pro dicto debito ipsi soluendo ut supra Iudex Maurus Iudex Iurcho de dreuenico Chirinus spinçich per ducatos quadraginta quinque auri equaliter et ego Antonius notarius infrascriptus per ducatos quinque*).

PRO ADAM CONTRA IURLINUM DE STAYN

Die primo mensis octobris In Statione infrascripti Ade presentibus Iacobo Misuli Chirino Spinçich testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iurlinus crouath de Stayn obligando se & omnia sua bona promisit & obligauit dare et consignare Ade Antonij de Firmo in dicta terra Fluminis Miliaria sexdecim ferri talis quale est illud acatij de Stayn pro precio quatuordecim ducatorum auri pro singulo miliario usque ad viginti dies proxime futuros Pro cuius ferri solutionis parte dictus Adam dicto Iurlino dedit & numerauit ducatos octoaginta auri et pro residuo valoris ferri recipere debet predictus Iurlinus a dicto Adam Oleum in ratione ducatorum quadragintatrium auri pro singulo Miliario Precibus cuius Iurlini Acatius de Stayn se constituit plegium & fideiussorem pro ipso Iurlino dicto Ade pro dicta ferri quantitate danda et consignanda ut supra cum obligatione omnium suorum bonorum**).

---

*) Cancellato, con in margine la nota: «Die X.o mensis Ianuarij 1447 cancelatum fuit presens Instrumentum debiti de voluntate creditoris presentibus Nicolao çopich Valentino Iurlinouich testibus ad hec uocatis & rogatis — Ego Antonius Cancellarius scripsi».

**) Cancellato, con in margine la nota: «1445 Die XII decembris cancellatum fuit presens Instrumentum de voluntate Ade creditoris presentibus Mathia sostar de lach & Tomasio eius genero — Ego Antonius cancellarius scripsi».

PRO ANÇE SCHUBEN CONTRA IUDICEM MAURUM

Die quinto mensis octobris In domo habitationis infrascripti presentibus Ser Castelino de Pisauro Osualdo de lach testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iudex Maurus vidonich per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Ançe schuben de lach presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos septuagintaquatuor boni auri & iusti ponderis pro ferro habito a dicto creditore Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori usque ad dominicam carnispriuij proxime futuram Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta*).

QUERELA COLE A SCALA DE MESSINA

Die septimo mensis octobris In Lobia terre Fluminis Sci Viti vbi ius redditur presente populi moltitudine copiosa Coram dominis Iudicibus et consilio dicte terre Fluminis sedentibus pro tribunali Comparuit Prouidus vir Ser Cola a scala de Messina patronus vnius Charachie asserens & dicens qualiter nocte proxime preterita post mediam noctem dum staret in portu dicte terre Fluminis cum dicta charachia armiçata et habente prouesium ligatum in terra dormiretque cum omnibus suis marinarijs eo quod credebat se fore in loco securo superuenit quedam fusta et clam ac furtiue adhesit dicte Charachie et dictam Charachiam ascendere volebant ascendissentque nisi Latratus magnus canis ipsos excitasset sicque excitati se defendere ceperunt taliter quod homines de dicta fusta cum ipsa fusta recesserunt Et quia prefatus Ser Cola audiuit ac semper intellexit quod dictus portus fuit et est securus Idcirco querelam aduersus homines dicte fuste exponit rogans prelibatos dominos Iudices et consilium quod si aliquo tempore homines dicti fuste qui celari non poterunt in eorum fortiam deuenerint dignentur ipsos tanquam piratas robatores ac depredatores portusque vestri violatores punire et Castigare.

---

*) Cancellato, con la nota: «1446 die XXI.o mensis Aprilis cancellatum fuit presens Instrumentum debiti de voluntate creditoris presentibus Iudice Nicolao Micolich & Iurcho de Dreuenico testibus ad hec uocatis & rogatis — Ego Antonius cancellarius scripsi».

PRO IUDICE NICOLAO CONTRA NICOLAUM DE CANDIA

Die decimotercio mensis octobris In Terra Fluminis Sci Viti In Statione infrascripti Iudicis Nicolai creditoris presentibus Ser Castelino quondam Iohannis de Pisauro Nicolao Tomasini de Vegla ambobus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alij Ibique Nicolaus quondam Iohannis de Candia sponte libere ex certa scientia non per errorem omni exceptione iuris uel facti remota cum obligatione omnium suorum bonorum per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Iudici Nicolao micolich presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos vigintiseptem boni auri & iusti ponderis et solidos nonagintaduos paruorum Et hoc pro ferro habito a dicto creditore Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori per totum mensem Ianuarij proxime futurum Sub pena quarti Et ad maiorem cautelam prefati creditoris dictus debitor eidem obligauit & pro speciali pignere designauit vinum accetum maluaticum et omnia & singula vassa que habet in dicta terra Fluminis hac tamen conditione & pacto quod si dicta pignera non sufficerent ad integram satisfactionem suprascripti debiti quod tum predictus creditor possit & valeat dictum debitorem cogere siue cogi facere realiter & personaliter ad integram satisfactionem suprascripti debiti vbique*).

PROCURA NICOLAI DE CANDIA IN BASILIAM

Die XIII mensis octobris In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Blasio cerdone quondam Antonij Petro balistario quondam Iohannis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Nicolaus quondam Iohannis de Candia omni via modo iure & forma quibus melius sciuit ac potuit fecit constituit creauit & ordinauit Basiliam filiam slacte absentem sed tanquam presentem suum verum & legitimum procuratorem actorem factorem & certum nuncium specialem presertim ad exigendum & recuperandum a quacumque persona sibi dare debenti in

---

*) Cancellato, con in margine la nota: «1446 die XXV mensis februarij cancelatum fuit presens Instrumentum debiti de voluntate creditoris presentibus testibus Nicolao Raintaler et Marino Çaninich — Ego Antonius cancellarius scripsi».

dicta terra Fluminis tam denarios quam alias res & de per eam receptis finem dimissionem quietationem & pactum de vlterius non petendo cum solemnitatibus necessarijs faciendum Et ad comparendum si opus fuerit coram domino Capitaneo Iudicibus & regimine dicte terre Fluminis & alio quocumque Iudice ad agendum petendum respondendum libellos & petitiones dandum &c Et generaliter &c Dans &c Promittens &c.

PRO ADAM DE FIRMO CONTRA DOMINAM NASTAM

Die XVII mensis octobris In domo habitationis infrascripte domine Naste presentibus Ser Castelino de pisauro Blasio cerdone quondam Antonij ambobus habitatoribus terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique domina Nasta uxor quondam Iudicis donati sponte libere ex certa scientia non per errorem omni exceptione iuris uel facti remota per se suosque heredes & successores fuit contenta & confessa se iuste teneri & dare debere Ade Antonij de Firmo presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos centum & octo boni auri et iusti ponderis & solidos octoaginta sex paruorum Quos quidem denarios dare & soluere promisit dicta debitrix prefato creditori de retractu primo vini quod ipsa habet in penore domus infrascripte debet tamen ipsa debitrix si vult recipere prius retratum vini trium vegetum Et ad maiorem cautelam dicti creditoris dicta debitrix eidem obligauit & pro speciali pignere designauit domum totam iuxta plateam in qua ad presens habitat magister Tomas barbitonsor*).

CONCORDIUM IUDICIS STEFANI CUM FILIIS

Die XX mensis octobris In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Iacobo bachinich Teodoro quondam dominici ambobus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iudex Stefanus russeuich et Georgius eius filius cum voluntate & consensu Augustini fratris suis ibidem presentis & consentientis tale fecerunt simul concordium & pactum videlicet quod Braida que est iuxta

*) Cancellato, con in margine la nota: «1451 die XI mensis Iulij cancelatum fuit presens Instrumentum debiti de voluntate creditoris presentibus Christoforo bachinich et Iohanne mannich testibus ad hec uocatis & rogatis — Ego Antonius cancellarius scripsi».

mare sit & esse debeat dictorum Georgij & Augustini fratrum tota et integra et similiter medietas domus magne prout iam diuissa est videlicet pars versus Boream sit & esse debeat dictorum duorum fratrum et quod de ipsis possessionibus possint & valeant ipsi fratres omnimodam suam facere uoluntatem et quod dictus Georgius in dicta medietate possit & valeat habitare absque alicuius contradictione quousque dicto Augustino erit necessaria teneatur tamen ipsam medietatem copertam consignare prout ad presens Et quod vinea posita in Scurigna tota & integra cum omnibus suis pertinentijs sit et esse debeat prefati Iudicis Stefani et de ipsa omnimodam suam facere possit voluntatem Pro quibus omnibus & singulis suprascriptis sic firmiter obseruandis attendendis & adimplendis vna pars alteri adinuicem obligauit omnia suo bona mobilia & immobilia presentia & futura.

TESTIFICATIO PRO IUDICE MAURO VIDONICH

Die XXV mensis nouembris In Terra Fluminis Sci Viti In Sacristia ecclesie Sce Marie Constitutus presbiter Antonius belanich Coram venerabilibus domino presbitero Iohanne micolich Arcidiacono & vicario domino presbitero Gaspare plebano presbitero Antonio Visignich presbitero Alexandro omnibus canonicis dicte terre Fluminis testis productus per Iudicem Maurum Vidonich in lite quam cum eo habere intendit Chirinus filius Iudicis Viti çouanich occassione certe quantitatis pecunie quam idem Chirinus dicit olim presbiterum Antolinum plebanum eius affinem exsoluisse pro quondam domino presbitero Ambrosio arcidiacono quando capti fuerunt in foroiulij accedendo ad dominum patriarcam dato eidem sacramento manibus tactis scripturis per suprascriptos dominos Et interrogatus quid sit de supra contentis dixit ac testificatus fuit remotis precio odio amore et timore quod tantum scit et bene recordatur quod possint esse anni quinquaginta siue plures quod prefati quondam presbiter Ambrosius et presbiter Antolinus missi fuissent ad dominum patriarcam a toto Arcidiaconatu terre Fluminis predicte occassione litis et differentie quas totus Arcidiaconatus tunc habebat cum domino episcopo polensi et cum prefati quondam presbiteri deuenissent ad partes Foriiulij capti fuerunt ab aliquibus stipendiarijs et ducti ad Ciuitatem Austrie ibique steterunt diu in carceribus tandem prelibatus presbiter Ambrosius venit ad dictam terram Fluminis dimisso loco sui in carceribus Iudice Blasina

fratre suo et tandem idem Iudex Blasina fugijt de carceribus Quidam autem nobilis de ciuitate Austrie predicta nomine Antonius promisit pro suprascriptis ne starent in carceribus sed possent transire per dictam ciuitatem Austrie Eandem prefatus Antonius Nobilis petebat in Iudicio a suprascriptis dominis presbiteris ducatos ducentos et quinquaginta quos dicebat soluisse pro ipsis & pro expensis Sed pie ac bone Memorie Magnificus vome Vgo de duino precepit quod nihil soluerent nec vnquam quousque uixit permisit ipsos aliquod soluere quamuis prelibatus Antonius pluries ac pluries querela aduersus dictos quidem presbiteros exposuisset Mortuo autem prefato domino Comite Vgone Dominus quondam Iohannes çichouer tunc vicedominus posuit collectam per totum Arcidiaconatum predictum pro dicta pecunie quantitate soluenda et coegit omnes et singulos presbiteros dicti Arcidiaconatus ad soluendum et quod fortius est coegit concubina quondam presbiteri Bartolacij ad soluendum pro dicta pecunie quantitate ducatos quatuor uel circa quos idem presbiter non soluerat Et dixit et testificatus fuit prefatus testis quod bene scit ac recordatur quod dicta pecunie quantitas fuit persoluta et data Nescit tamen bene nominatim cui fuerit persoluta.

Super qualibus interrogatus recte respondit.

PRO PAULO RADAUICH & MATIASIO

Die XXVI mensis nouembris In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Iohanne Machagnano luca cslich testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Paulus Martini radauich de castua dedit & affictauit Matiasio de Iapre domum positam iuxta vrbanum carpentarium que est Vrsule eius vxoris pro octo annis immediate sequentibus qui tamen anni inceperunt die octauo mensis septembris proxime preteriti Hac condicione & pacto quod dictus Matiasius teneatur & debeat soluere singulo anno dicto Paulo pro affictu dicte domus libras decem et nouem paruorum videlicet medietatem in festo Sci Georgij et residuum in capite cuiusque anni Pro quibus omnibus & singulis suprascriptis sic firmiter obseruandis & attendendi vna pars alteri adinuicem obligauit omnia sua bona mobilia & immobilia presentia & futura.

PACTA IUDICIS VITI BARULICH ET MARCI BUNTI

Die penultimo mensis nouembris in Lobia terre Fluminis Sci Viti presentibus Iudice Tonsa quondam Ser Ni-

cole Martino Çaninich Iusto Vidotich testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iudex Vitus barolich per se suosque heredes & successores dedit et Locauit Marco Bunto ibidem presenti omnia & singula sua terrena posita in districtu Fluminis in loco dicto Drenoua his pactis & condicionibus quod dictus Marcus teneatur & debeat dicta terrena laborare et arare prout decens est et similiter eius filij et filie possint & valeant ipsa terrena tenere & possidere laborando tamen ipsa & arando sicut decens est et quod dictus Marcus et eius filij siue filie quousque tenuerint dicta terrena teneantur & debeant dare dicto Iudici Vito aut eius heredibus quintam partem quorumcumque Bladorum nascentium in dictis terrenis singulo anno et quartam partem nucium Et quandocumque dictus Marcus siue eius filij aut filie prescripta terrena non laborarent et ararent prout decens est quod tunc & eo casu prelibatus Iudex vitus possit & valeat dicto Marco et eius filijs & filiabus ipsa accipere & suam omnimodam facere de ipsis voluntatem non obstantibus suprascriptis nisi tamen legitima & probabilis adesset causa Et si dictus Marcus aut eius filij siue filie in dictis terrenis plantarent vites seu alias arbores nullam teneantur dicto Iudici Vito aut eius heredibus dare partem Pro quibus omnibus & singulis suprascriptis sic firmiter obseruandis attendendis & adimplendis vna pars alteri adinuicem obligauit omnia sua bona mobilia & immobilia presentia & futura.

PRO ÇUPANO LEXA DE NERINE CONTRA TOMAM REMERIUM

Die vltimo mensis nouembris In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Rafaele de Fossambruno Dominico carpentario de Iadra ambobus ciuibus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Tomas remerius de bucharo habitator dicte terre Fluminis sponte libere ex certa scientia non per errorem omni exceptione iuris uel facti remota per se suosque heredes & successores et cum obligatione suorum bonorum presentium & futurorum fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Çupano Lexe de Nerine presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos septuaginta boni auri et Iusti ponderis et hoc pro calculo et saldo omnium et singularum rationum quas quomodocumque simul habuissent usque ad presentem diem Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori per terminos infra-

scriptos videlicet medietatem usque ad festum purificationis beate Marie Virginis proxime futurum et alteram medietatem usque ad Carnispriuium proxime futurum Sub pena quarti Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta*).

PROTESTUS MOHORI SEUALICH CONTRA IOHANNEM MATIUCIJ

Die primo decembris iuxta Macellum presentibus Adam de Firmo Rafaele de Fossambruno testibus & alijs Ibique Coram Iudice Mauro Vidonich comparuit Mochorus Seualich asserens & dicens qualiter Iohannes Matiucij non vult accipere pisces quos emit ab ipso & eius socijs Idcirco protestatur de tribus marchis pro dictis piscibus presente ibidem dicto Iohanne et respondente quod talis protestus nullius et valoris nec debet acceptari eo quod nondum pisces sint numerati nec in eius manibus nec adhuc Iudices sententiauerunt quod accipere debeat ipsos pisces.

PRO IOHANNE MATIUCIJ CONTRA EUFUMIAM

Die primo decembris iuxta Macellum Fluminis Sci Viti In Statione Iohannis Matiucij de Firmo presentibus Adam Antonij de Firmo Toschano quondam Çanobij ambobus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Cum Iohannes Matiucij de Firmo & Bartolomeus eius frater dubitarent quod Eufumia filia dominice de Sancto Laurentio recederet a dicta terra Fluminis & portaret secum Malgaritam eius filiam ac dicti Bartolomei Idcirco ipsam Malgaritam accipere volebant dicte Eufumie matri et ipsam iuxta se tenere Quod uidens dicta Eufumia et tanquam mater condoleus promisit prefatis Iohanni & Bartolomeo presentibus quod non discedet a dicta terra Fluminis cum prelibata filia sua nec eam aliquo mittet sed quandocumque ipsi siue alter ipsorum accedere voluerit ad partes marchie dictam filiam ipsis siue alteri ipsorum liberaliter dabit & consignabit Promittens dicta Eufumia quod si ipsa cum dicta filia accederet aliquo uel ipsam mitteret quod non uult aliquo tempore posse nec valere petere a predictis

*) Cancellato, con in margine la nota: «1457 Die XII mensis decembris cancelatum fuit presens Instrumentum debiti de voluntate creditoris presentibus Agabito contouich Georgio Antonij de goriçe testibus ad hec uocatis & rogatis — Ego Antonius cancellarium scripsi».

Iohanne & Bartolomeo siue altero ipsorum aliquid pro expensis aut nutritu dicte Malgarite etiam si ipsam diu nutriret aut teneret quandocumque ipsi siue alter ipsorum rehabere vellet dictam Malgaritam volens ipsos & quemlibet ipsorum esse liberos & absolutos at omni re & actione quas quomodocumque in futurum petere posset ipsa Eufumia ab ipsis siue altero ipsorum occassione expensarum siue nutritus quas siue quem facere posset tenendo in futurum dictam Malgaritam relinquens tamen in ipsorum voluntate & discretione siquid ipsi Eufumie dare voluerint pro tempore quo dictam Malgaritam tenuerit in dicta terra Fluminis Pro quibus omnibus &c.

PRO BARTOLOMEO MATIUCIJ CONTRA EUFUMIAM

Die tercio mensis decembris In Statione infrascripti Bartolomei Matiucij de Firmo presentibus Francisco fabro quondam Martini Blasio cerdone quondam Antonij ambobus ciuibus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Eufumia filia dominice de Sancto Laurentio fuit contenta et confessa sibi integre solutum & satisfactum fuisse A Bartolomeo Matiucij de Firmo ibidem presente de omni eo quod ipsa habere debet eo quod lactauit ac nutriuit Margaritam filiam dicti Bartolomei usque ad presentem diem Renuncians dicta Eufumia exceptionem non habitorum non receptorum et non numeratorum dictorum denariorum tempore presentis contractus omnique alij suo iuri ac legum auxilio Promittens &c.

PRO MARIA FILIA IUDICIS ROSSO

Die tercio mensis decembris In barbacano terre Fluminis Sci Viti Spectabilis ac generosus vir dominus Iacobus Baunacher Iudices et consilium terre Fluminis Sci Viti preceperunt mihi notario infrascripto quatenus scribere deberem & deinde publicum conficere Instrumentum qualiter quia bona omnia Rauini quondam Iudicis Martini de pago propter falla et delicta ab ipso commissa iam quatuor annis elapsis & vltra deuenerant ad Fiscum Idcirco sunt quatuor anni uel circa quibus ipse dominus Capitaneus tanquam misericors & benignus sub spe benignitatis Magnifici domini nostri cum voluntate & consensu totius consilij dicte terre Fluminis dedit tradidit atque do-

nauit Maria vxori dicti Rauini presenti & pro se ac filijs suis stipullanti & recipienti vnam Muraleam positam in dicta terra Fluminis iuxta Iudicem Vitum barolich & Iudicem Vitum quondam Ser Matchi et viam publicam hi pactis & condicionibus quod dicta Maria viuentibus filio et filia quem et quam habet cum dicto Rauino nullo modo valeat nec possit dictam muraleam vendere nec allienare ipsis uero mortuis possit dicta Maria de ipsa Muralea omnimodam facere voluntatem Nec predicta Maria ob hoc cogatur ad soluendum aliquod debitum dicti Rauini nisi illud de berberio Et quod ipsa Maria nulla via mundi possit cogi ad soluendum aliquid aliud debitum prefati Rauini Et hoc fecit prefatus dominus Capitaneus cum prelibato consilio ut eadam Maria cum filio ac filia suis possint in futurum fideliter seruire Magnifico domino nostro in dicta terra Fluminis.

PRO IUDICE NICOLAO CONTRA GEORGIUM CLUCH

Die nono mensis decembris In Statione Iudicis Nicolai infrascripti presentibus Martino Satanni Grisano qm Iudicis Martini de pago testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique lucianus de lach sponte libere ex certa scientia non per errorem omni exceptione iuris uel facti remota per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Iudici Nicolao micolich presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos decem et octo boni auri et iusti ponderis & solidos quadraginta duos paruorum Et hoc pro quadam fideiussione siue plegiaria facta dicto creditori pro Georgio Cluch de lach pro oleo quod dictus Georgius habuit a prefato creditore Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit prefatus Lucianus dicto Iudici Nicolao creditori per terminos infrascriptos videlicet medietatem usque ad Carnispriuium proxime futurum Et alteram medietatem usque ad festum Sci Georgij proxime futurum Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta*).

---

*) Cancellato, con in margine la nota: «1446 Die XV Iulij presentibus Tomasio pirlart de lach Alegreto marinario cancelatum fuit presens Instrumentum debiti de voluntate creditoris — Ego Antonius cancellarius scripsi».

PRO FRANCIONO DE ANCONA

Die nono mensis decembris In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Iudice Mateo quondam Ser donati Iudice Vito matronich Ser Castelino Iohannis de Pisauro omnibus ciuibus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Coram Spectabili ac generoso Viro domino Iacobo Raunacher Capitaneo dicte terre Fluminis Nobili Viro domino Mauro Vidonich ad presens honorabili Iudice dicte terre Fluminis Comparauit Ser Franciscono Antonij de Ancona pro se ac vice & nomine Tome quondam Ser Bartulucij de Ancona asserens & dicens qualiter fecerunt venditionem Ser Johanni de cherso de quatuor milliarijs olei de mense octobris proxime preteriti & debebat uenire pro dicto oleo comfestim cum ipse Ser Iohannes appullisset chersum quod minime factum est Vnde hoc videns dictus Francionus misit quemdam nuncium Chersum cum vna litera hac de causa sed illi de insula chersi non permiserunt dictum nuncium ad Insulam proicientes in eum lapides Insuper ipse Francionus quampluries dixit hanc rem supradicto Iudici Mateo donadouich Vnde considerans ipse Francionus nomine quo supra quod tempus preterit venditionis olei dixit prefatis domino Capitaneo & Iudici quod ipsum oleum non vult plus tenere sed vendere.

PRO ANÇE SCHUBEN CONTRA IUDICEM TONSAM

Die XVI mensis decembris In Statione Iudicis Nicolai micolich presentibus ipso Iudice Nicolao Iudice Mauro Vidonich Iudice Vito matronich ambobus ciuibus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iudex Tonsa quondam Ser Nicole Sponte libere ex certa scientia non per errorem omni exceptione iuris uel facti remota per se suosque heredes & successores fuit contentus et confessus se iuste teneri & dare debere Iohanni scuben de lach presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos septuaginta octo boni auri & iusti ponderis et solidos quinquaginta duos paruorum Et hoc pro ferro habito a dicto creditori Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori usque ad festum Sci Georgij proxime futurum Sub pena ducatorum viginti auri cum obligatione omnium suorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta.

PRO ANTONIO DE PISAURO CONTRA GEORGIUM MURATOREM

Die XVI mensis decembris In Statione Iudicis Nicolai micolich presentibus ipso Iudice Nicolao & Iacobo eius fratre testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique magister Georgius murator quondam demitrij de Iadra habitator arbi sponte libere ex certa scientia non per errorem omni exceptione iuris uel facti remota per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Ser Johanni Matiucij de Firmo presenti stipullanti & recipienti vice ac nomine Antonij filij Ser Santis de Pisauro libras viginti vnam et solidos sex paruorum Et hoc pro affictu vnius domus Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori cum primo venerit ad dictam terram Fluminis et si ipse debitor non veniret ad dictam terram Fluminis ante festum Sci Georgij proxime futurum Idem debitor soluere promisit dicto Iohanni nomine quo supra usque ad festum Sci Georgij proxime futurum Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soiuta uel non rata maneant omnia et singula suprascripta.

PACTA IUDICIS NICOLAI MICOLICH CUM MAGISTRO GEORGIO MURATORE

Vltrascriptis die ac loco presentibus Iudice Tonsa quondam Ser Nicole Nicolao raintalar Valentino Iurlinouich omnibus ciuibus dicte terre Fluminis Iohanne muratore quondam Iacobi de Arbo testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Magister Georgius quondam demitrij de Iadra habitator non vi non metu sed sua spontanea voluntate fecit tale concordium cum Iudice Nicolao micolich ciui dicte terre Fluminis presenti & pro se suisque heredibus stipullanti videlicet quod dictus magister Georgius teneatur saliçare capellam in Ecclesia Sce Marie de dicta terra Fluminis quam ipse construxit de viuis & bonis lapidibus rubeis & albis equaliter de Insula arbensi extractis ad spinapese quos lapides idem Magister Georgius tenetur extrahere conducere ad splagiam dicte terre Fluminis aptare & polire et in opere ponere omnibus suis expensis hac conditione quod dictus Iudex Nicolaus teneatur dictos lapides conduci facere a Splagia dicte terre Fluminis usque ad predictam capellam et dare calcem & sabulum iuxta dictam Capellam et quod dictus Magister Georgius teneatur & debeat murare altare et ponere in opere lapidem conductum pro ipso altari

et circa ipsum altare murare tres schalinos de viuis lapidibus et unum scalinum ante dictam capellam. dare tamen tenetur ipso Iudex Nicolaus scalinos aptatos & pollitos & calcem et sabulum predicto magistro Georgio iusta ipsam Capellam Quod quidem opus prefatus magister Georgius tenetur & debet dare actum et completum usque ad primum diem mensis Iunij proxime futuri dumtaxat in dicta terra Fluminis fuerint sane persone et non affuerit pestis Pro quo quidem opere toto agendo et complendo ut supra prelibatus Iudex Nicolaus dare et soluere tenetur predicto Magistro Georgio libras trecentas et sexaginta paruorum Renuncians prefatus magister Georgius omnibus & singulis saluisconductibus tam factis quam fiendis consuetudinibus statutis que quomodocumque essent contra presens Instrumentum omnique alij suo iuri ac legum auxilio volens ipse magister Georgius quod nullo modo possit retineri ab aliquo rectore aut officiali comunis Venetiarum siue alterius dominij aliqua causa Et si ipse retineretur aut venire negligeret ad dictam terram Fluminis ad agendum et complendum dictum opus ut supra dummodo locus dicte terre Fluminis sit mundus a peste quod tunc ipse magister Georgius teneatur & debeat inuenire magistrum ydoneum & sufficientem ad peragendum & complendum suprascriptum opus aliter ipse pretactus Iudex Nicolaus possit & valeat inuenire magistrum ydoneum & sufficientem ad complendum dictum opus expensis dicti Magistri georgij Promittens vna pars alteri adinuicem omnia & singula suprascripta attendere obseruare & adimplere Sub pena ducatorum viginticinque auri Cuius pene medietas sit & esse debeat regiminis siue dominij Sub quo pars contrafaciens constringetur ad executionem suprascriptorum et altera medietas partis obseruantis cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta Et pro arra siue capara dicti operis agendi & complendi a predicto magistro ut supra prelibatus Iudex Nicolaus presentibus suprascriptis testibus eidem dedit & numerauit ducatos XV boni auri & Iusti ponderis.

PRO SUPRASCRIPTO IUDICE NICOLAO CONTRA GEORGIO MURATORE DE IADRA

Vltrascriptis die loco ac testibus Magister Georgius murator quondam demitrij de Iadra habitator Arbi per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus sibi integre solutum et satisfactum fuisse

A Iudice Nicolao micolich ciue dicte terre Fluminis de omni et singula re et actione quam idem Iudex Nicolaus quomodocumque predicto magistro georgio tenebatur occassione Capelle quam ipse fecit in dicta terra Fluminis eidem Iudici Nicolao et pro omni et singulo opere in dicta capella siue circa ipsam facto Obligauit tamen se ipse magister georgius ac promisit dicto Iudici Nicolao quod ipse veniet ad dictam terram Fluminis de mense Marcij proxime futuro ad deponendum armamenta dicte capelle & smaltandum ipsam capellam & voltam & claudendum foramina & coperiendum ipsam capellam de cupis cum calce pro quibus omnibus & singulis faciendis prelibato magistro georgio a predicto Iudice Nicolao fuit integre iam solutum & satisfactum.

PRO SER ANÇELINO CONTRA PAULUM LUSTALAR

Die vigessimo mensis decembris In domo habitationis infrascripti mei notarij in terra Fluminis Sci Viti presentibus Martino aurifice quondam dominici Rafaele de Fossambruno Petro glauinich omnibus ciuibus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iudex Paulus lustalar de labaco per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se habuisse ac manualiter recepisse in prompta pecuna A Ser Ançelino bonfiolo de Florentia habitatore dicte terre Fluminis presente & pro se suisque heredibus numerante ducatos quatricentos auri pro qua quidem pecunie quantitate idem Paulus dare & consignare promisit dicto Ser Ançelino in dicta terra Fluminis tot pelles magnas hoce est crudos corios teotonicos quot ascendant ad satisfactionem suprascriptorum quatricentorum ducatorum Pro precio et foro ducatorum quatuor auri pro singulo Centenario ponderis dictarum pellium usque ad festum natiuitatis beati et gloriosi Iohannis baptiste proxime futurum Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia et singula suprascripta.

PRO SUPRASCRIPTO SER ANÇELINO CONTRA DICTUM PAULUM

Vltrascriptis die loco ac testibus Iudex Paulus lustalar de labaco obligando se et sua bona promisit Ser Ançelino bonfiolo de Florentia habitatori dicte terre Fluminis presenti & pro se suisque heredibus stipullanti quod a ipso Ser Ançelino accipiet ac accipere tenetur

et debet milliaria duodecim olei pro precio et foro ducatorum quadragintaduorum auri pro singulo milliario ipsius olei Et pro precio siue valore dicte quantitatis olei qui ascendit ad Summam ducatorum quingentorum quatuor idem Paulus dicto Ser Ançelino dare & consignare promisit et tenetur in dicta terra Fluminis usque ad festum natiuitatis beati Iohannis baptiste proxime futurum tot pelles magnas Idest corios crudos teotonicos quot ascendant ad satisfactionem valoris dicte quantitatis olei pro precio et foro ducatorum quatuor auri pro singulo Centenario ponderis dictarum pellium dumtaxat idem Paulus habuerit pelles et si non haberet pelles quot tunc et eo casu teneatur dare & numerare dicto Ser Ançelino promptam pecuniam pro valore dicte quantitatis olei in dicto termino Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena etc Qui Iudex Paulus lustalar coram testibus suprascriptis et me notario infra scripto fuit contentus Et confessus se habuisse ac recepisse a dicto Ser Ançelino vnum miliarum et Çabrios quatuor et medros res olei in ratione suprascriptorum duodecim Milliariorum olei.

PARS PRO RIBOLA

IN Christi nomine amen Anno natiuitatis eiusdem MCCCCXXXXVI Indictione Nona Die XXVIII mensis Decembris In Stuba pallatij Illustris domini nostri. Cum rectores teneantur & debeat *(sic)* iuxta eorum posse Conari & niti quod loca que per ipsos reguntur & gubernantur debeant augeri & non minui Et hoc sit quandocumque ciues ipsorum locorum bene valent vendere redditus ex quibus ipsi viuunt Hinc est quod Spectabilis Vir dominus Iacobus Raunacher Capitaneus Nobiles viri Ser Maurus Vidonich et Ser Damianus quondam Matei loco Iudicis Chirini glauinich ad presens honorabiles Iudices dicte terre Fluminis ceterique consiliarij dicte terre Fluminis considerantes quod fraudes committuntur per portantes vinum per terram & dicentes quod sit Ribola cum non sit Statuerunt & ordinauerunt quod quelibet persona cuiusuis conditionis existat que portabit Ribolam ad dictam terram Fluminis in futurum debeat singula vice qua portabit ipsam Ribolam ferre siue portare litteras Regiminis illius loci siue territorij de quo portabit siue extrahet ipsam Ribolam Regimini dicte terre Fluminis aliter cadat ad penam librarum octo & debeat ipsam confestim extrahere de dicta terra Fluminis & non

fiat gratia nisi per duas partes consilii dicte terre Fluminis. Et si litteras portauerit ipsa Ribola debeat vendi tanquam vinum forensem.

Anno 1446

PACTA IUDICIS NICOLAI & IACOBI CUCHER

IN Christi nomine amen Anno eiusdem Millesimo quadrigentessimo quadragessimo sexto Indictone nona Die quinto mensis Ianuarij In Terra Fluminis Sci Viti In Statione infrascripti Iudicis Nicolai presentibus Iurlino Seidel de labaco Iudice Iurcho de dreuenico Bartolo melcherich ambobus ciuibus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iudex Nicolaus micolich de dicta terra Fluminis et Iacobus coquus de labaco insimul tale fecerunt pactum & conuentionem videlicet quod dictus Iacobus dare & consignare promisit in dicta terra Fluminis predicto Iudici Nicolao Sex Milliaria ferri boni pro precio ducatorum quatuordecim pro singulo milliario et pelles magnas hoc est corios crudos centum et sexaginta pro precio ducatorum quatuor auri cum dimidio pro singulo centenario librarum ponderis dictorum coriorum Et hoc totum usque ad medietatem quadragessime proxime future Qui quidem Iacobus accipere tenetur ac debet a dicto Iudice Nicolao sarcinas duodecim olei pro precio ducatorum quadragintatrium pro singulo miliario olei videlicet sarcinas quatuor quandocumque vult et sarcinas octo cum oleum predicto Iudici Nicolao quum primum fuerit deportatum teneatur tamen ipse Iudex Nicolaus pretacto Iacobo confestim manifestare cum ipsum oleum fuerit delatum Et pro residuo valoris suprascripte quantitatis ferri et coriorum vel vltra valorem dicte quantitatis olei Idem Iudex Nicolaus predicto Iacobo dare tenetur et soluere promptam pecuniam Promittens vna pars alteri adinuicem omnia & singula suprascripta attendere & obseruare cum obligatione omnium suorum bonorum.

PRO RAFAELE CONTRA STEFANUM CERNOLICH

Die nono mensis Ianuarij In Statione Petrimarini de Firmo presentibus Francisco Grisostomi de Firmo Crestolo Silçich testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Stefanus cernolich sponte libere ex certa scientia non per errorem

omni exceptione iuris uel facti remota per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Rafaeli de Fossambruno presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus libras quadraginta paruorum nomine mutui quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori usque ad tres annos proxime futuros incipiendo tamen a festo Sce catarine proxime preterito Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum. Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta Et ad maiorem cautelam dicti creditoris dictus debitor eidem obligauit & pro speciali pignere designauit suum pastinum positum in rastocine iuxta dictum creditorem*).

PRO PRODANO CONTRA IACOBUM CAPELARIUM

Die XIIII mensis Ianuarij In littore maris ante portam terre Fluminis Sci Viti presentibus Iacobo cigantich Blasio cerdone quondam Antonij testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iacobus capelarius gener quondam Tonchi per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Prodano Radeni de Pago presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus libras quadragintaseptem & solidos vndecim paruorum Et hoc pro vno vassello vini quem dictus Iacobus et Posega habuerunt a dicto creditore Quos quidem denarios dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori usque ad festum Sci Georgij proxime futurum Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta.

PARS CAPTA

Die prescripto per generosum virum dominum Iacobum Raunacher Iudices et consilium captum fuit quod quicumque tenebit nomine comunis dacium mensure vini siue illud emet teneatur ac debeat respondere michi notario infrascripto absque alicuius contradictione nec valeant Iudices aut aliqua alia persona accipere aliquem

---

*) Cancellato, con in margine la nota: «1447 die octauo mensis octobris cancelatum fuit presens Instrumentum debiti de voluntate creditoris presentibus Iudice Mateo qm Ser donati Crestolo Silçich testibus ad hec uocatis & rogatis — Ego Antonius cancellarius scripsi».

denarium sine voluntate mei notarij quousque michi non fuerit integre satisfactum.

PRO IOHANNE MATIUCIJ CONTRA MATEUM COPA DE LABACO

Die XIIII mensis Ianuarij In Terra Fluminis Sci Viti In Statione Ade Antonij de Firmo presentibus ipso Adam et Gaspare eius fratre testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Mateus copa de labaco sponte libere ex certa scientia non per errorem omni exceptione iuris uel facti remota per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Iohanni Matiucij de Firmo mercatori in dicta terra Fluminis ducatos nonagintasex boni auri & iusti ponderis Et hoc pro oleo habito a dicto creditore Quos quidem ducatos dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori usque ad festum Sci Georgij proxime futurum Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta*)

PRO FRANCIONO DE ANCONA

Die XIIII mensis Ianuarij In lobia comunis terre Fluminis Sci Viti in qua ius redditur coram Nobilibus viris Ser Mauro Vidonich Ser Chirino glauinich ad presens honorabilibus Iudicibus dicte terre Fluminis Comparuit Ser Francionus Antonij de Ancona tanquam rerum gestor Nobilis vir Ser Bernardi a medicis de Florentia mercatoris in Ciuitate Ancone asserens & dicens qualiter idem Ser Bernardus emit a Filipo de nelli de Florentia quantitatem olei delatam ad dictam terram Fluminis quod oleum idem Filipus prefato Ser Bernardo laudauit & conuentauit crocei coloris et clarum absque amurca Et cum sit quod ipse Ser Francionus inuenerit in vna vegete predicte quantitatis olei multum amurce Idcirco supplicabat prefatis dominis Iudicibus quatenus ad eius declarationem & cautelam destinarent personas idoneas ad videndum dictam amurciam ut prefatus Ser Bernardus iusticiam petere possit aduersus dictum

*) Cancellato, con in margine la nota: «1446 die XXVII mensis aprilis cancelatum fuit presens Instrumentum debiti de voluntate Bartolomei fratris dicti creditoris presentibus Iudice Mauro Vidonich et Ser Ançelino bonfiolo testibus ad hec uocatis & rogatis — Ego Antonius cancellarius scripsi».

Filipum qui dictam quantitatem olei ipsi vendidit prout iuris ordo exigit et requirit Qui domini Iudices audita suprascripta supplicatione & considerantes ipsam fore iustam illico mandauerunt Simoni oslich Mateo grohouaç et Andree genero Vrbani officialibus iuratis ad hec deputatis quatenus ire debeant ad videndum prefatam vegetem olei in qua dictus Francionus dicit esse amurcam et videre si in ipsa vegete est amurca & quantum amurce in ea esse potest et deinde ipsis dominis iudicibus visa referre Qui offiçiales volentes mandata adimplere visis suprascriptis retulerunt suprascriptis dominis Iudicibus quod per iuramentum quod fecerunt Magnifico domino nostro & Comuni dicte terre Fluminis quando facti fuerunt officiales quod in predicta vegete sunt duo Çabei amurce et vltra Et hoc dixerunt remotis precio odio timore & amore Eadem die & hora Suprascriptus etiam Francionus nomine quo supra exposuit suprascriptis dominis Iudicibus qualiter in prescripta quantitate olei reperit aliquas vegetes plenas oleo non crocei coloris sed uiridis Et cum ipsum oleum idem Francionus vendidisset Ser Iohanni Matiucij de Firmo mercatori in dicta terra Fluminis Et ipse Iohannes vidisset ipsum oleum fore coloris viridis dictum oleum renuebat & acceptare nolebat et tandem simul conuenerunt quod prelibatus Francionus eidem Iohanni dare & donare oportuit duos medros olei quod acceptaret ipsum oleum prout etiam coram suprascriptis dominis Iudicibus asseruit ipse Iohannes.

Ego Antonius &c his omnibus interfui & de mandato suprascriptorum dominorum Iudicum scripsi et publicaui Signumque meum nomini mei preposui consuetum In fidem et testimonium promissorum.

PRO ANCE SLATICURAÇ DE LACH CONTRA IUDICEM VITUM

Die XXIII mensis Ianuarij In Statione Iudicis Nicolai Coram Iudice Mauro tanquam Iudice & Iudice Nicolao tanquam vicecapitaneo Iudex Vitus matronich se obligando & sua bona promisit mittere omnibus suis espensis ad terram Lach Iohanni Slati de lach ducatos vigintiseptem auri quod eidem Johanni prefatus Iudex Vitus dare tenetur usque ad festum annunciationis beate Marie Virginis proxime futurum Et in casu quo dictus Iudex Vitus usque ad suprascriptum terminum non destinaret prefato Iohanni dictos ducatos XXVII Ipse Iudex Vitus voluit & se obligauit soluere

prefato Iohanni siue eius nuncio quem mitteret aduersus dictum Iudicem Vitum pro expensis et damno dicti Iohannis siue eius nuncij singula die medium ducatum auri.

CONCORDIUM LUCE CAUERTICH & EIUS MATRIS

Die XXV mensis Ianuarij In domo habitationis infrascripti Luce In terra Fluminis Sci Viti presentibus Iudice Vito barolich georgio cigantich Teodoro quondam dominici testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iohanna uxor quondam Matei cauertich per se suosque heredes & successores et Lucas eius filius per se suosque heredes & successores tale simul fecerunt concordium videlicet quod vinea tota posita in Scurigna et baretum cum oliuarijs positum in Scurigna cum omnibus eorum pertinencijs sint et esse debeant prefate Iohanne ita & taliter quod de ipsis suam facere possit omnimodam voluntatem tanquam de bonis proprijs Et quod dicta Iohanna quousque uixerit habere debeat quartam partem omnium usufructuum terrenorum possessionis posite in denoua iuxta Iudicem Vitum barolich prescriptum Pro quibus omnibus & singulis suprascriptis sic firmiter obseruandis attendendis & adimplendis vna pars alteri ad inuicem obligauit omnia sua bona mobilia & immobilia presentia et futura.

PRO ANÇE SCUBEN CONTRA IUDICEM MAURUM VIDONICH

Die XXV mensis Ianuarij In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Iudice Vito matronich Ser Castelino de Pisauro ambobus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac aliijs Ibique Iudex Maurus Vidonich sponte libere ex certa scien tia non per errorem omni exceptione iuris uel facti remota per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Iohanni scuben de lach presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos sexaginta auri & iusti ponderis Et hoc pro ferro habito a dicto creditore Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori usque ad festum Sce Malgarite proxime futurum Sub pena quarti cum obligatione om-

nium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta*).

PRO ADAM CONTRA GEORGIUM DE LABACO

Die vltimo mensis Ianuarij In Terra Fluminis Sci Viti In Statione infrascripti Ade creditoris presentibus Iohanne Matiucij de Firmo Valentino Iurlinouich Policarpo de Mederdorf hospite omnibus ad presens habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Georgius Machouacij de labaco sponte libere ex certa scientia non per errorem omni exceptione iuris uel facti remota per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Ade Antonij de Firmo mercatori in dicta terra Fluminis presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos nonagintatres boni auri et iusti ponderis et solidos trigintaquinque paruorum Et hoc pro oleo habito a dicto creditore Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori usque ad festum Sci Georgij proxime futurum Sub pena quarti Et ad maiorem cautelam prefati creditoris dictus debitor eidem obligauit & pro speciali pignere designauit fassios triginta ferri qui sunt penes dictum creditorem & omne aliud ferrum quod mittet ad dictam terram Fluminis et cum obligatione omnium suorum bonorum**).

PRO CATARINA MOCLINOUA CONTRA SIMONEM COXARICH

Die vltimo mensis Ianuarij In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Iudice Cosma radolich Agabito diraçich Paulo Vidotich omnibus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Simon filius Martini coxarich sponte libere ex certa scientia non per errorem omni exceptione iuris uel facti remota per se suosque heredes & successores fuit contentus & con-

---

*) Cancellato, con in margine la nota: «1446 die 15 Iulij cancelatum fuit presens Instrumentum debiti de voluntate creditoris presentibus Iudice Vito matronich Osualdo de lach testibus &c — Ego Antonius cancellarius scripsi».

**) Cancellato, con in margine la nota: «1446 die 24 mensis Iulij cancelatum fuit presens Instrumentum debiti de voluntate creditoris presentibus Iudice Vito quondam Ser Matchi Iudice Nicolao Micolich testibus &c — Ego Antonius concellarius scripsi».

fessus se iuste teneri & dare debere Catarine Moclinoue presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus libras centum paruorum Et hoc pro quibusdam terrenis positis na polaç que dictus Simon emit a dicta Catarina que fuerunt Iudicis Cosme radolich in hos confines ab uno latere iuxta Locum qui dicitur Cruseueni & ab alio latere iuxta heredes alxe (?) Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefate creditrici per terminos infrascriptos videlicet singulo anno libras sexdecim paruorum usque ad integram satisfactionem suprascripti debiti Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta*).

PRO IUDICE NICOLAO CONTRA IUDICEM IURCHUM

Die tercio mensis Februarij In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Valentino Iurlinouich Francisco Grisostomi de Firmo testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iudex Georgius quondam Iudicis Stefani de dreuenico per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Iudici Nicolao micolich presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos vigintiocto boni auri & iusti ponderis Et hoc pro ferro habito a dicto creditore Qua quidem pecunie quantitate dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori usque ad festum annunciationis beate Marie Virginis proxime futurum Et ad maiorem cautelam prefati creditoris prefatus debitor eidem obligauit & pro speciali pignere designauit domum in qua ad presens habitat**).

PRO IUDICE MAURO CONTRA PETRUMMATEUM DE ARIMINO

Die quinto mensis Februarij In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Ser Castelino Iohannis de Pisauro Iudice Tonsa quondam Ser

---

*) Cancellato, con in margine la nota: «1451 die XX mensis Madij cancelatum fuit presens Instrumentum debiti de voluntate creditoris presentibus Paulo mortalich et Paulo couaçich testibus ad hec uocatis & rogatis — Ego Antonius cancellarius scripsi».

**) Cancellato, con la nota: «1446 die XIIII mensis decembris cancelatum fuit presens Instrumentum debiti de voluntate creditoris presentibus Martino coxar et Prodano de pago testibus ad hec uocatis & rogatis -- Ego Antonius cancellarius scripsi».

Nicole ambobus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Petrusmateus quondam Vgulini de Arimino sponte libere ex certa scientia non per errorem omni exceptione iuris uel facti remota per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Iudici Mauro vidonich de dicta terra Fluminis presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos triginta octo boni auri & iusti ponderis et solidos nonaginta octo Et hoc pro ferro habito a dicto creditore Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori per totum mensem Marcij proxime futuri Sub pena quarti Et ad maiorem cautelam prefati creditoris dictus debitor eidem obligauit & pro speciali pignere designauit omnia vassa a vino et seuum et scotanum que res sunt in canepa domini Simonis belçich de laurana Hac conditione quod si usque ad dictum terminum prefatus debitor prelibato creditori non soluerit quod tunc et eo casu prelibatus creditor possit & valeat dictas res facere poni ad publicum incantum data tamen prius scientia Grisano quondam Iudicis Martini in cuius manibus dimisit clauem canipe in qua sunt prescripte res et si venditis dictis rebus prefato creditori non fuerit integre satisfactum pro suprascripto debito valeat idem creditor eundem debitorem cogere realiter & personaliter usque ad integram satisfactionem suprascripti debiti Pena autem suprascripta soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta*).

PROCURA BARTOLOMEI DE FIRMO IN IOHANNEM EIUS FRATREM

Die quinto mensis febraurij in publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Petro glauinich Agabito contouich Toma remerio de bucharo omnibus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Bartolomeus Matiucij de Firmo mercatori in dicta terra Fluminis omni via modo iure & forma quibus magis & melius sciuit ac potuit fecit constituit creauit et ordinauit Prouidum virum Iohannem Matiucij de Firmo fratrem suum pre-

*) Cancellato, con in margine la nota: «1446 die 15 Iulij presentibus Vito mateieuich Bartolomeo Matiucij de Firmo testibus &c cancelatum fuit presens Instrumentum debiti de volutate creditoris — Ego Antonius cancellarius scripsi».

sentem et infrascriptum mandatum sponte suscipientem suum uerum & legitimum procuratorem actorem factorem & certum nuncium specialem & quicquid melius dici ac censeri possit presertim in causa quam habet siue habere intendit cum Nucio Antonij de tonto de Ortona occasione cuiuisdam quantitatis ferri quam dictus Nucius habuit a dicto constituente vti constat publico Instrumento scripto manu mei notarij infrascripti Anno domini 1443 Indictione sexta die XVIIII mensis Iulij et generaliter in omnibus eius causis placitis litibus controuersis quas habet siue habiturus est tam in agendo quam in defendendo cum quacumque persona coram quocumque Iudice tam ecclesiastico quam seculari super quibuscumque negotijs Ad agendum petendum respondendum libellos et petitiones dandum & recipiendum litteras contestandum exceptiones proponendum terminos & dillationes petendum & recipiendum testes Instrumenta producendum & representandum (?) Iudices et notarios eligendum & recusandum ac suspectos dandum sententias audiendum appellandum committendum & persequendum de calumpnia & veritate dicenda Iurandum Item ad repetendum exigendum & recipiendum omne id & quicquid ipsi constituenti ex quacumque causa a quacumque persona sibi debetur uel deberetur & de per eum exactis receptis & repetitis finem dimissionem quietationem et pactum de vlterius non petendo cum solemnitatibus necessarijs faciendum Item ad paciscendum componendum transigendum compromittendum et Laudum ac arbitrium audiendium & prosequendum Item ad sustituendum loco sui vnum uel plures procuratores & eos reuocandum rato manente presente mandato Et generaliter ad omnia alia & singula dicenda gerenda & procuranda que in predictis & circa predicta & quolibet predictorum duxerit facienda & necessaria ac utilia videbuntur & que merita premissorum atque causarum exigunt & requirunt que per uerum & legitimum procuratorem fieri possunt et que & quemadmodum ipse constituens facere posset si adesset Dans & concedens eidem procuratori suo & sustituendis ab eo in predictis & circa predicta & quolibet predictorum plenum arbitrium & generale mandatum cum plena libera & generali administratione agenda et exercendi omnia & singula suprascripta Promittens eidem procuratori suo & sustituendis ab eo & mihi notario infrascripto tanquam publice persone stipullanti & recipienti vice & nomine omnium quorum interest uel interesse poterit quicquid

per dictum procuratorem & sustituendos ab eo actum & factum fuerit proprie habiturum firmum & ratum Insuper ipsum & sustituendos ab eo ab omni satisdationis onere releuare & ex nunc releuans promisit mihi notario ut supra de Iudicio sixti & Iudicatum soluendo sub ypoteca & obligatione omnium suorum bonorum.

PRO ADAM DE FIRMO CONTRA CHIRINUM SPINÇICH

Die XIII mensis Februarij In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Iudice Vito quondam Ser Matchi presbitero Vito melcherich Iudice georgio de dreuenico omnibus ciuibus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis Ibique Chirinus spinçich sponte libere ex certa scientia non per errorem omni exceptione iuris uel facti remota per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Ade Antonij de Firmo mercatori in dicta terra Fluminis presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos quatuordecim boni auri & iusti ponderis Et hoc pro quadam plegiaria seu fideiussione facta dicto Ade creditori pro Marco quondam petri de Iuancich Quos quidem ducatos XIIII auri dare & soluere promisit dictus Chirinus prefato Ade usque ad festum Sci georgij proxime futurum Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum possit tamen & valeat dictus Adam cogere prelibatum Marcum si ipsi Ade placuerit ad soluendum suprascriptos ducatos quatuordecim auri Pena autem suprascripta soluta uel non rata maneant omnia &c.

PRO MARCO DE IUANCICH CONTRA CHIRINUM SPINÇICH

Vltrascriptis die loco ac testibus Ibique Chirinus spinçich fuit contentus & confessus sibi integre solutum & satisfactum fuisse A Marco quondam petri de Iuançich de ducatis quadragintanouen auri cum dimidio quos idem Marcus et Valentinus Fulnoie dare debebant ipsi Chirino pro pipere habito a dicto Chirino.

PRO IUDICE NICOLAO MICOLICH CONTRA PAGRANTIUM DE CILIA

Die XXII mensis Februarij In terra Fluminis Sci Viti in Statione infrascripti creditoris presentibus Nicolao çopich Matiasio de Iapre Georgio Ma-

rulich de Castua omnibus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Pagrantius de Cilia sponte libere ex certa scientia non per errorem omni exceptione iuris uel facti remota per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Iudici Nicolao presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos quadragintatres boni auri & Iusti ponderis nomine mutui Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori usque ad festum annunciationis beate Marie Virginis proxime futurum Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta.

PRO CHIRINO SPINÇICH CONTRA IACOBUM CERDONEM

Die XXIIII mensis Februarij Castue in domo Çupani Iohannis Sornich presentibus Iudice Mauro vidonich Ser Antonio furclinouich testibus ad hec uocatis & rogatis Ibique Iacobus cerdo gener quondam Machaçi habitator castue sponte libere ex certa scientia non per errorem omni exceptione iuris uel facti remota per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Chirino spinçich presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus libras triginta septem paruorum Pro qua quidem pecunie quantitate idem debitor prefato creditori dare promisit singulo anno medietatem omnium suorum usufructuum vuarum pro precio solidorum viginti pro singula brenta usque ad integram satisfactionem suprascripti debiti sub pena quarti Et ad maiorem cautelam prefati creditoris dictus debitor eidem obligauit & pro pignere designauit omnia sua bona.

LOCATIO AMBROSIJ QUONDAM MATCHI PILAR SIMONI COXARICH

Die sexto mensis Marcij In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Iudice Vito quondam Ser Matchi Iudice Mauro vidonich Veneciano de Cregnino testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Ambrosius quondam Matchi pilar per se suosque heredes & successores dedit locauit & affictauit Simoni coxarich presenti & pro se suisque heredibus & successoribus stipullanti vnam vineam positam in coxala quam tenuit olim stenta usque ad quinque

annos proxime futuros his pactis & condicionibus quod dictus Simon teneatur & debeat singulo anno soluere predicto locatori libras quinque et solidos septem paruorum pro affictu et nomine affictus & ipsam vineam laborare secundum consuetudinem dicte terre Fluminis & in capite dictorum quinque annorum ipsam reddere non peioratam et si prefatus Simon aut ille cui ommitteret non laboraret ipsam vineam secundum consuetudinem dicte terre Fluminis tunc & eo casu dictus Locator et eius heredes possint et valeant dictam vineam auferre a dicto Simone siue eius heredibus.

PRO IUDICE NICOLAO MICOLICH CONTRA PRESBYTERUM ALEXANDRUM

Die septimo mensis Marcij in Statione infrascripti creditoris presentibus Martino quondam Çanini Iohanne Strich testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique presbiter Alexander sponte libere ex certa scientia non per errorem omni exceptione iuris uel facti remota per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Iudici Nicolao micolich presenti stipullanti & respondenti pro se suisque heredibus & successoribus Libras quadraginta sex et solidum vnum paruorum Et hoc pro vino habito a dicto creditore Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori usque ad festum assumptionis Beate Marie Virginis proxime futurum Sub pena quarti Et ad maiorem cautelam prefati creditoris dictus debitor eidem obligauit & pro speciali pignere designauit domum suam iuxta Vitum sarctorem patrem suum*).

PRO CHIRINO SPINÇICH CONTRA ÇICADAM DE PACHA

Die XIIII mensis Marcij In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Iudice Mauro Vidonich Martino çaninich ambobus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Curilus dictus Çicada de pacha sponte libere ex certa scientia non per errorem omni exceptione iuris uel facti remota per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste

*) Cancellato con in margine la nota: «1452 die VI mensis Marcij cancelatum fuit presens Instrumentum debiti de voluntate creditoris presentibus Iudice Tonsa quondam Nicole S. Georgio ruseuich testibus ad hec uocatis & rogatis — Ego Antonius cancellarius scripsi».

teneri & dare debere Chirino spinçich de Castua presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus libras ducentas et octoaginta denariorum paruorum nomine mutui pro qua quidem pecunie quantitate idem debitor prefato creditori dare & consignare promisit tot remos & lignamina quot ascendant ad supram scriptam quantitatem Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum*).

PRO CHIRINO SPINÇICH CONTRA VITUM MATEIE UICH

Die XIIII mensis Marcij In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Nicolao Raintalar Martino Çaninich testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iohannes dictus Iagnaç et Suetina çupanich fuerunt contenti & confessi se habuisse ac recepisse A Chirino spinçich Modios quinquaginta sex & tres cagnicios vini pro precio solidorum sexagintaocto pro singulo modio pro precio siue valore dicte quantitatis vini soluendo usque ad festum Sci Michaelis de mense septembris fideiussit dicto Chirino pro prefatis Iohanne & Suetina precibus ipsorum cum obligatione omnium suorum bonorum**).

PRO IUDICE VITO ROSSO CONTRA ANTONIUM LAPICIDAM DE VENETIJS

Die XXI mensis Marcij In Lobia terre Fluminis Sci Viti Presentibus Iudice Mauro vidonich Iudice Iacobo micolich ad presens honorabilibus Iudicibus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Antonius lapicida quondam Benedicti ciuis Venetiarum sponte libere ex certa scientia non per errorem omni exceptione iuris uel facti remota per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Iudici Vito quondam Ser Matchi presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus libras quinquaginta & solidos duos denariorum paruorum quos denarios prefatus debitor dare te-

*) Cancellato, con in margine la nota: «1446 die sexto mensis Iunij cancelatum fuit presens Instrumentum debiti de voluntate creditoris presentibus presbitero Vito scolich et Adam Antonij de Firmo testibus ad hec uocatis & rogatis — Ego Antonius cancellarius scripsi».

**) Cancellato, c. s.: «1447 die XXVII mensis Aprilis cancelatum fuit presens Instrumentum debiti de voluntate creditoris presentibus Dominico carpentario & Veneciano de Cregnino testibus ad hec uocatis & rogatis — Ego Antonius cancellarius scripsi».

netur Tomasino de Vegla Et quos denarios idem debitor mittere promisit ipsi Iudici Vito per marinarios qui nunc ipsum conducunt cum familia Ad ciuitatem Segne in reuersione eorum Sub pena quarti Insuper voluit dictus debitor si dictos denarios non mitteret ut supra posse cogi & compelli realiter & personaliter ad solutionem & satisfactionem dicti debitoris et omnium & singulorum damnorum ac expensarum que & quas dictus Iudex Vitus patietur si non miserit dictos denarios ut supra Venetijs Ancone Segne & vbicumque locorum Pro quibus omnibus & singulis sic firmiter obseruandis attendendis & adimplendis dictus debitor prefato creditori obligauit omnia sua bona mobilia &c Pena autem suprascripta soluta &c.

PRO IUDICE NICOLAO CONTRA ANTONIUM LAPICIDAM

Die XXII mensis Marcij In Terra Fluminis Sci Viti In Statione infrascripti Iudicis Nicolai presentibus Iudice Mauro Vidonich Adam Antonij de Firmo ambobus ciuibus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Magister Antonius lapicida quondam Benedicti ciuis Venetiarum sponte libere ex certa scientia non per errorem omni exceptione iuris uel facti remota per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus se iuste teneri & dare debere Iudici Nicolao micolich ciui dicte terre Fluminis presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus ducatos nouem boni auri & iusti ponderis et solidos centum et tres paruorum nomine mutui Renuncians idem debitor exceptioni non habite non recepte & non numerate dicte quantitatis pecunie tempore presentis contractus omnique alij suo iuri ac legum auxilio Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere promisit dictus debitor prefato creditori ad omnem requisitionem ipsius creditoris Sub pena quarti cum obligatione omnium suorum bonorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta.

FINIS PRO SUPRASCRIPTO IUDICE NICOLAO

Vltrascriptis die loco ac testibus prescriptus Magister Antonius per se suosque heredes & successores fuit contentus & confessus sibi integre solutum & satisfactum fuisse a Iudice Nicolao micolich ciue dicte terre Fluminis de omni & singulo opere ac laborerio que predictus antonius ipsi Iudici Nicolao fecisset siue laborasset usque ad presentem diem faciens idem

Magister Antonius prelibato Iudici Nicolao presenti & pro se suisque heredibus stipullanti finem dimissionem quietationem & pactum de vlterius non petendo de omni debito ac de omni & singula re & actione quam predictus Iudex Nicolaus eidem tenebatur siue teneri poterat quacumque ex causa usque ad presentem diem Promittens idem Antonius per se & suos heredes eidem Iudici Nicolao presenti stipullanti & recipienti pro se suisque heredibus & successoribus omnia & singula suprascripta rata & grata habere tenere & non contrafacere uel uenire per se uel alium aliqua ratione causa uel ingenio de iure uel de facto Sub pena dupli eius quod peteretur stipullatione in singulis capitulis &c Qua pena &c

IN Christi nomine Amen Sententie late tempore Capitaneatus Spectabilis generosique Viri Domini Iacobi Raunacher honorabilis capitanei terre Fluminis Sci Viti pro Illustri ac magnifico Barone Domino Ramperto de Valse scripte per me Antonium filium Francisci de reno de mutina notarium publicum nec non Cancelarium dicte terre Fluminis Sci Viti Anno Domini nostri Iesu Christi Millesimo CCCCXXXVI.to Indictione quatuordecima.

Anno 1436

SENTENTIA PRO CURILO DE LAURANA

Die secundo mensis Iulij Sub arbore que est ante portam dicte terre Fluminis presentibus testibus Martino terçich Teodoro quondam Dominici Quirino filio Iudicis Marci glauinich omnibus ciuibus & habitatoribus dicte terre Fluminis & alijs Ibique Sedentibus pro tribunali infrascriptis dominis pro Iure reddendo quem locum elegerunt ad dandum infrascriptam sententiam. Nomina dominorum sunt hec

Spectabilis ac generosus vir dominus Iacobus raunacher honorabilis capitaneus dicte terre Fluminis

Iudex Ambrosius quondam Ser Marci

Iudex Damianus quondam Matei

Venerabilis vir dominus presbiter Mateus arcidiaconus & plebanus dicte terre Fluminis

Iudex Iohannes Misuli
Iudex Iuacius blasijch
Iudex Stefanus roseuich*)
Iudex Cusma radolich
Iudex Maurus vidonich
Iudex Nicolaus quondam Ser Antonij
Iudex Vitus quondam Stefani
Ser Tonsa quondam Ser Nicole

Comparuit Curilus quondam Tomine de laurana asserens & dicens qualiter Martinus quondam Stefani radolich fregerat confines unius sui terreni positi in districtu Fluminis in loco dicto drenoua & occupabat partem suam unius curtiui dicto terreno pertinentem & supplicans suprascriptos dominos dignerentur taliter prouidere quod ipse tale non patiatur damnum uelut iuris ordo exigit & requirit presen presente dicto Martino & dicente quod ipse non fregit aliquos confines dicti Curili nec occupabat aliquam partem alicuius curtiui existentis dicti curili sed occupabat totum dictum curtiuum tanquam rem suam Qui dominus Capitaneus una cum suprascriptis dominis audita petitone dicti Curili nec non responsionem dicti Martini interrogauerunt dictum Curilum quam partem haberet in dicto curtiuo qui respondit se habere terciam partem in dicto curtiuo & intendebat probare per Iudicem Stefanum roseuich qualiter suprascriptus Martinus pauci sunt menses miserat eum ad dictum Curilum quod uenderet sibi dictum terrenum & dictam partem curtiui Qui Iudex stefanus interrogatus a dicto domino Capitaneo & suprascriptis dominis dixit quod uerum est quod dictus Martinus miserat eum ad dictum Curilum quod venderet sibi dictum terrenum & dictam partem curtiui Vnde audita per dictum dominum capitaneum & suprascriptos dominos testificatione suprascripti Iudicis stefani roseuich necnon visis auditis & intellectis omnibus & singulis iuribus que dicte partes dicere & allegare uoluerunt dicti dominus capitaneus Iudices & consiliarij Christi nomine inuocato a quo cuncta recta & iusta procedunt Iudicia dixerunt declarauerunt sententiauerunt & per diffinitiuam sententiam terminauerunt quod dictus Curilus debeat libere tenere & possidere terciam partem dicti curtiui & dictum terrenum tanquam res que sue sunt

*) Cancellato, con la nota: «fuit testis & idcirco non posui».

& de ipsis facere tanquam de re sua & quod dictus Martinus non audeat in futurum frangere confines dicti terreni uel possidere terciam partem dicti Curtiui pertinentem dicto terreno.

SENTENTIA PRO MANDA UXORE LEONARDI DE COROTANA

Die XVI.to mensis Iulij sub arbore que est ante portam terre Fluminis Sci Viti presentibus Teodoro quondam dominici Martino terçich ambobus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Sedentibus pro tribunali infrascriptis dominis ad ius reddendum quorum nomina inferius seriatim sunt notata. Sunt Spectabilis ac generosus vir dominus Iacobus Raunacher honorabilis capitaneus dicte terre Fluminis. Iudex Ambrosius quondam Ser Marci Iudex Damianus quondam Matei ambobus tunc honorabilis Iudicibus (*sic*) dicte terre Fluminis

Iudex Iohannes Misuli
Iudex Stefanus roseuich
Iudex Iuacius quondam blasij
Iudex Bartolus glauinich
Iudex Martinus quondam gregorij
Iudex Cosma radolich
Iudex Maurus vidonich
Iudex Paulus quondam Ser Marci
Iudex Nicolaus quondam Antonij
Iudex Vitus quondam Stefani
Iudex Tonsa quondam Ser Nicole

Coram suprascriptis dominis Comparuit Magister Mateus piliparius habitator dicte terre Fluminis dicens qualiter Manda uxor Leonardi de Corotana tenebat & possidebat unum suum oliuare & unam suam sorbulum positas super corona que est inter ipsam Mandam & ipsum Mateum in districtu Fluminis in loco dicto Rastocina presente ibidem dicta Manda & respondente qualiter ipsa semper possederat dictas arbores tanquam suas ueluti sue sunt ante quam dictus Mateus emeret uineam quam nunc habet prope ipsam in dicto loco ubi est predicta corona & hec probare intendebat per quirinam uxorem Iudicis Mute de grubinicho que dictam vineam uendidit predicto Magistro Mateo vnde audita testificatione predicte quirine que dato prius per suprascriptos dominos sacramento de veritate dicenda dixit ac testificata fuit quod

ipsa nunquam possederat predictas arbores Prefati domini per diffinitiuam sententiam absoluerunt & absolutam reddiderunt predictam Mandam a petitione predicti Magistri Matei Piliparij tanquam iniusta & inepta.

SENTENTIA PRO IULIANO VOLPE

Die XX mensis augusti in terra Fluminis sci Viti in lodia comunis ubi ius redditur presentibus Curilo quondam Tome de laurana Martino & ambrosio fratribus quondam Stefani radolich omnibus ciuibus & habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique sedentibus pro tribunali infrascriptis dominis ad ius reddendum quorum nomina inferius notata sunt Spectabili & generosus vir dominus Iacobus Raunacher capitaneus honorabilis dicte terre Fluminis dominus Damianus quondam Matei ad presens honorabilis Iudex dicte terre Venerabilis vir dominus presbiter Mateus arcidiaconus & plebanus dicte terre Iudex Iohannes Misuli Iudex Iuacius quondam blasij Iudex Vitus suanich Iudex Stefanus roseuich Iudex Martinus quondam gregorij Iudex Vitus quondam Matchi Iudex Cusma radolich Iudex Vitus quondam stefani Ser Tonsa quondam Ser Nicole comparuit Iulianus uolpe de Venetijs patronus vnius nauigij asserens & dicens qualiter accordauerat Tomam de srigna olim famulum Agabiti pro famulo pro uno anno de mense februarij proxime elapsi per ducatos decem cum dimidio & expensis & nunc dictus Tomas uult discedere ab eo dicto Iuliano ignorante causarum quod ipsi redundaret in magnum damnum quia nunc est hic super splagia cum suo nauigio presente dicto Toma & respondente quod nolebat cum dicto Iuliano stare & quod rogabat dictum Iulianum quod solueret sibi pro tempore quo cum dicto Iuliano steterat Qui dominus capitaneus una cum suprascriptis dominis audita petitione dicti Iuliani necnon responsionem dicti Tome necnon visis auditis & intellectis omnibus & singulis iuribus rationibus & allegationibus que dicte partes dicere & allegare uoluerunt Christi Nomine inuocato a quo cuncta recta & iusta procedunt Iudicia dixerunt declarauerunt sententiauerunt & pro diffinitiuam sententiam terminauerunt considerata consuetudine dicte terre Fluminis quod dictus Tomas complere debeat suum terminum cum dicto Iuliano Volpe aut debeat dicto Iuliano restituere omnes denarios quos ab ipso habuit

Ego Antonius de mandato suprascripti Iudicis Damiani scripsi & in publicam formam redegi.

SENTENTIA IUDICIS STEFANI RUSEUICH

Die ultimo mensis octobris in terra Fluminis Sci Viti sub lobia comunis ubi ius redditur presentibus testibus Martino terçich Simone pilar prodano de Pago omnibus ciuibus & habitatoribus dicte terre Fluminis & alijs Ibique Sedentibus pro Tribunali infrascriptis dominis ad ius reddendum quorum nomina sunt hec Dominus presbiter Mateus arcidiaconus & plebanus dicte terre Fluminis. Iudex ambrosius quondam Marci Iudex Damianus quondam Matei tunc temporis honorabiles Iudices dicte terre Fluminis Iudex Iohannes Misuli Iudex Bartolus glauinich Iudex Martinus quondam Gregorij Iudex Vitus quondam Matchi Iudex Cusma radolich Iudex Maurus vidonich Iudex Paulus quondam Ser Marci Iudex Vitus quondam Stefani Ser Stefanus quondam Blasij Comparuit Iudex Stefanus roseuich querelam exponens contra Filipum maliuani eius fratrem & dicens qualiter ipso non existente in dicta terra Fluminis dictus Filipus aperuerat portam sui penoris que est sub uolta & posuerat intus aliquas lapides presente dicto Filipo & respondente quod dicta porta sub uolta & locus ubi posuerat lapides sui erant & ad ipsum pertinebant & quod conquerebatur de dicto Iudice Stefano fratre suo quod aperte super uolta uersus portam domus dicti Filipi fecerat quendam murum nouum propter quem incomoda multa sibi secuntur nam cunculos ad panem intus domum ferre non potest & quod absit si aliquis de domo sua moriretur non posset propter dictum murum nouiter factum extra domum portari Qui suprascripti domini audita querela dicti Iudicis Stefani necnon responsione dicti Filipi eius fratris vissaque dicta differentia occulata fide Auditaque testificatione Teodori quondam dominici testis producti per suprascriptum Filipum nec non visis auditis & intellectis omnibus & singulis iuribus rationibus & allegationibus que dicte partes dicere & allegare uolerunt Christi nomine inuocato a quo cuncta recta & iusta procedunt iudicia dixerunt declararuerunt sententiauerunt & per diffinitiuan sententiam terminauerunt quod dicta porta & Introitus sub volta sit & esse debeat libere suprascripti Iudicis Stefani & dictus Filipus se nihil de ipsa impedire debeat & dictus Iudex Stefanus debeat murum nouiter factum destruere usque ad signum in dicto muro

factum per suprascriptos Iudicem Ambrosium & Iudicem Damianum tunc temporis honorabiles Iudices dicte terre Fluminis uel se cum dicto Muro nouiter facto tantum uersus portam sue domus retrahere quod cunculus ad panem tabule defunctorum corpora & alia domui cuilibet necessaria possint in domum dicti Filippi commode portari.

Anno 1437

SENTENTIA PRO SER CASTELINO

Die quinto mensis aprilis sub lobia comunis ubi ius redditur presentibus testibus Magistro Radoslauo pilipario Magistro Blasio cerdone Iohanne dicto Iagnaç omnibus habitatoribus dicte terre Fluminis Ibique Sedentibus pro tribunali infrascripti dominis quorum nomina inferius seriatim sunt notata F[4] primo Spectabilis ac generosus vir dominus Iacobus Raunacher honorabilis capitaneus terre Fluminis Sci Viti

Iudex Bartolus glauinich
Iudex Nicolaus quondam Antonij
tunc temporis honorabiles Iudices dicte terre Fluminis
Iudex Iohannes Misuli
Iudex Ambrosius quondam Ser Marci
Iudex Iuacius quondam Blasij
Iudex Marcus glauinich
Iudex Stefanus roseuich
Iudex Vitus quondam Matchi
Iudex Cusma radolich
Iudex Maurus Vidonich
Iudex Paulus quondam Ser Marci
Iudex Vitus quondam Stefani
Iudex Damianus quondam Matei
Ser Stefanus quondam blasij

Coram suprascriptis dominis comparuit Ser Castelinus de pensauro asserens & dicens qualiter dederat duas pecias terreni positas in loco dicto Braida ad pastinandum Helie & Milote fratribus quondam Dianchi ambobus simul & in solidum usque ad terminum quinque annorum uti plene constat publico Instrumento scripto manu Ser Dominici quondam Christofori de Colalto notarij & olim cancelarij dicte terre Fluminis Anno Domini MCCCC

XXXIIII.to die primo mensis augusti quod Instrumentum produxit coram suprascriptis dominis in Iudicio in fauorem iurium suorum & nunc dictus Helias discessit a terra Fluminis & nescitur quo iuerit & dimisit pastinum quod incepit pastinare non ligoçinatum neque putatum quod sibi reuertitur in magnum damnum eo quod ibit in baretum Idcirco Supplicat ipsis dominis dignentur ipsi dare licentiam quod dictum pastinum siue pecias terre possit & ualeat laborare tenere & possidere tanquam res suas cum dictus Helias non seruauerit pacta insimul habita Qui domini uocata coram se uxore dicti Helie sententiauerunt & terminauerunt quod dictus Ser Castelinus debeat expectare usque ad festum sci georgij proxime futurum Et si in dicto termino dictus Helias non uenerit tunc dictus Ser Castelinus possit & ualeat dictas pecias terre siue pastinum tenere & possidere tanquam res suas.

SENTENTIA DRAGUIE & IUSTI DE MUSCHIENIÇA

IN Christi nomine amen. In terra Fluminis sancti Viti super Sala magna palacij excelsi ac magnifici domini Rumperti de Valse Coram strenuo ac potenti Milite domino Iohanne Reichenburger meritissimo vicedomino predicti domini de Valse necnon Capitaneo Duini Pisini eiusque Comitatus sedente pro tribunali ad ius reddendum una cum strenuo Milite domino Martino Raunacher ac nobili uiro domino Iohanne obienburger Comparuit Draguia uxor quondam Quirini rochelich de Muschieriça Cum Iusto quondam greschi eius nepote petens ab Andrea laçarich & Quirino Lochna tanquam commissarijs Doclegne Argniche unam vineam positam in districtu Moschieniçe in valle prope scam Marinam que fuit quirini olim mariti sui quam dicti Andreas & Quirinus nomine quo supra iniuste tenent & possident presentibus predictis Andrea & Quirino & respondentibus quod eorum auunculus Doclegna Argnica predictus dictam uineam dum uiueret tenuit & possedit & ipsam post mortem suam in manibus ipsorum dimisit tanquam rem suam Cui defensioni predicti Draguia & eius nepos responderunt quod probare intendunt dictam vineam fuisse dicti Quirini olim mariti dicte Draguie & ipsis tanquam ueris heredibus dicti quirini de iure pertinere quod probatum est per complures testes fidedignos Vnde prefatus dominus Iohannes sedens ut supra auditis ac intellectis omnibus que dicte parte dicere & allegare uoluerunt uisisque ac auditis probationi-

bus dictorum Draguie & Iusti sui nepotis habitoque super his diligenti consilio non declinans a dextris neque a sinistris Christi nomine inuocato a quo cuncta Iusta & recta Iudicia procedunt dixit pronunciauit declarauit & per diffinitiuam sententiam terminauit quod predicta vinea sit et esse debeat dictorum Draguie & Iusti & de ipsa uinea tanquam de re sua possit iuxta uoluntatem suam disponere. Et quod dicti Andreas & Quirinus se de dicta vinea in aliquo non impediant.

Vltrascriptis die loco & testibus infrascriptis dictus dominus sedens ut supra dixit pronunciauit declarauit & per diffinitiuam sententiam terminauit quod predicti Draguia & Iustus eius nepos dare & soluere debeant prefatis Andree & Quirino tanquam commissarijs ut supra Marchas XII. cim per infrascriptos terminos uidelicet Marchas quatuor in festo sci georgij de anno domini MCCCCXXXVII & in alio festo sci georgij Marcas quatuor & deinde in sequenti festi sci Georgij Marchas quatuor sub pena librarum quinquaginta cuius pene medietas deueniat ipsi domino Iohanni & altera medietas predictis Andree & quirino

Vltrascriptis die loco & testibus infrascriptis Coram prefato domino Iohanne sedente ut supra Comparuit Crise de sco Vincentio Petens nomine hereditatis presbiteri Andree lasmani a Vito quondam Martini Masulich de Muschieniça unum ortum positum ante portam dicti Castri Muschieniçe in loco dicto na plucath presente dicto Iusto & respondente dictum ortum fuisse suorum antecessorum & ad ipsum de iure pertinere quod et probatum est per testes fidedignos vnde prefatus dominus Iohannes sedens ut supra auditis ac intellectis omnibus que dicte partes dicere & allegare uoluerunt uisisque probationibus dicti Iusti habitoque super his diligenti consilio non declinans a destris neque a sinistris Christi nomine inuocato a quo cuncta Iusta & recta Iudicia procedunt dixit pronunciauit declarauit & per diffinitiuam sententiam terminauit quod dictus ortus sit & esse debeat dicti Iusti & de ipso orto dictus Iustus possit ac ualeat facere quicquid sibi placuerit tanquam de re sua & disponere.

Late date & in his scriptis sententialiter pronunciate & promulgate fuerunt suprascripte sententie per suprascriptum dominum Iohannem sedentem cum suprascriptis dominis pro Tribunali ad ius reddendum Anno domini MCCCCXXXVII Indictione XV die XVIII mensis aprilis & scripte ac publicate per me Antonium de reno notarium & cancellarium iuratum terre Flu-

minis sci Viti de Mandato suprascripti domini Iohannis vicedomini presentibus testibus Domino presbitero Mauro plebano Muschieniçe Çupano Mateo draganich Iudice petro scherbinich Çupano Iedriça orsetich georgio domaldouich omnibus habitatoribus Muschieniçe.

Vltrascripto loco Coram prefato domino Iohanne sedente ut supra ac etiam cum domino Iacobo Raunacher honorabili capitaneo terre Fluminis sci Viti Comparuit Crisaua uxor quondam petri çouanich petens ab Andrea laçarich & Quirino lochna de Muschieniça tanquam commissarijs doclegne Argniche vnam domum positam in Muschieniça iuxta Iohannem damianich & uiam publicam quam prefatus olim Doclegna habuit in pignore pro Marchis XVI.cim eo quod dicta crisaua predictas sexdecim Marchas soluerat uelut clare particulariter ostendebat per quadam certam scripturam sclabonice presentibus predictis Andrea et quirino & respondentibus quod ipsi nesciebant si dicta Crisaua uel eius olim maritus soluerat predictas sexdecim marchas Cui defensioni ipsa Crisaua respondit quod predictas sexdecim Marchas soluerat de parte in parte sicut scriptum est in predicta Carta sclabonice scripta Qui Andreas & quirinus responderunt quod uolebant absque aliqua alia probatione credere sacramento predicte Crisaue Qui dominus Iohannes audita responsione dictorum Andree & quirini Voluit prefate Crisaue sacramentum prestare si soluerat dictas sexdecim Marchas Et dum dicta Crisaua uellet iurare quod soluerat predictas XVI.cim Marchas Dicti Andreas & quirinus dixerunt non detis sibi sacramentum quam ipsi credimus quod soluerit simplici uerbo Vnde prefatus dominus Iohannes sedens ut supra uisis auditis & intellectis omnibus que dicte partes dicere & allegare uoluerunt habitoque supra his diligenti consilio sapientum non declinans a dextris neque a sinistris Christi nomine inuocato a quo cuncta Iusta & recta Iudicia procedut dixit declarauit pronunciauit sententiauit & per diffinituam sententiam terminauit quod dicta domus sit & esse debeat prefate Crisaue & de ipsa domo predicta Crisaua possit & ualeat facere deinceps quicquid sibi placuerit tanquam de re sua.

Lata data & in his suprascriptis sententialiter pronunciata & promulgata fuit suprascripta sententia per suprascriptum dominum Iohannem sedentem cum suprascriptis dominis pro tribunali ad ius reddendum Anno domini Millesimo CCCXXXVII Indictione XV.a die XVIIII mensis Aprilis presentibus testibus

uocatis & rogatis Domino presbitero Mauro plebano Muschienişe Iudice Petro scherbinich Çupano Stefano crainich Dominico chrencouich & georgio dumaldouich omnibus habitatoribus Muschienice ac alijs.

Ego Antonius filius Francisci de reno de Mutina publicus imperiali auctoritate notarius & nunc cancellarius iuratus terre Fluminis Sci Viti suprascriptas sententias de Mandato suprascripti domini Iohannis scripsi & publicaui Signumque meum &c.

ABSOLUTIO SER MATEI QUONDAM SER DONATI

Die XXV.o mensis Aprilis in lobia comunis ubi ius redditur presentibus testibus Teodoro quondam Dominici terçich Curilo de laurana omnibus habitatoribus dicte terre Fluminis & alijs Ibique sedentibus pro tribunali infrascriptis dominis quorum nomina seriatim inferius sunt Notata. Inprimis Spectabilis ac generosus vir dominus Iacobus Raunacher honorabilis capitaneus terre Fluminis predicte Nobilis vir dominus Bartolus glauinich & Nobilis Vir dominus Nicolaus quondam Ser Antonij Ad presens honorabiles Iudices dicte terre Fluminis

Iudex Iohannes Misuli
Iudex Ambrosius quondam Ser Marci
Iudex Iuacius quondam blasij
Iudex Stefanus roseuich
Iudex Cosma radolich
Iudex Maurus Vidonich
Iudex Vitus quondam Stefani
Iudex Damianus quondam Matei
Iudex Paulus quondam Ser Marci
Ser Tonsa quondam Ser Nicole

Comparuit Michael de Iadra tanquam procurator domine Iacobine uxoris quondam Guidonis de bononia & sororis dicti Michaelis uti clare constabat publico Instrumento procurationis petens a Ser Mateo quondam Ser donati de Ancona ducatos octuaginta auri vigore testamenti predicti guidonis in uno cuius testamenti capitulo scripto manu prefati guidonis continetur qualiter ipsi uidetur se expendisse ducatos septuaginta de suis denarijs & in alio predicti testamenti capitulo continetur ipsum guidonem expendisse de suis denarijs ducatos decem adiungendo in his denarijs michi uidetur teneri mateus uti clare constat in quodam qua-

ternulo siue libello Cui quidem petitioni dictus Mateus respondebat quod prefato olim guidoni in aliquo non tenebatur & quod ipse Guido potuit scribere quicquid sibi placebat sed nunquam reperietur ipsum Mateo prefato Guidoni in aliquo teneri cui defensioni dictus Michael nomine quo supra respondebat ostende libellum in quo prefatus calculus continetur & sic clare uidebitur si dicto guidoni in aliquo tenebaris an non & dictus Mateus negabat se talem libellum habere Quo audito suprascripti domini predictum Michaelem interrogauerunt si uellet alio modo probare uel si poterat aliter probare quam per dictum testamentum qui respondit quod non Interrogatus iterum dictus Michael a predictis dominis si uellet dicti Mateo sacramentum dare si dictos ducatos tenebatur dare prefato quondam Guidoni uel si haberet predictum libellum calculi respondit quod non Qui suprascripti ut supra necnon responsionibus predicti Matei necnon auditis & intellectis omnibus & singulis iuribus rationibus & allegationibus que dicte partes dicere & allegare uoluerunt Christi nomine inuocato a quo cuncta Iusta & recta iudicia procedunt dixerunt declarauerunt absoluerunt & per diffinitiuan sententiam absolutum reddiderunt prefatum Ser Mateum a petitione predicti Michaelis nomine quo supra tanquam iniusta & inepta.

SENTENTIA GEORGII SARCTORIS

Die ultimo mensis Madij in lobia comunis vbi ius redditur presentibus testibus Ser Nicolao scabich Martino bechario Vito sarctore ac alijs Ibique Sedentibus pro tribunali infrascriptis dominis quorum nomina inferius seriatim sunt notata Inprimis Spectabilis uir dominus Iacobus Raunacher honorabilis capitaneus dicte terre Fluminis Nobiles uiri dominus Bartolus glauinich & dominus Vitus barolich ad presens honorabilis Iudex loco Iudicis Nicolai quondam Ser Antonij

Iudex Ambrosius quondam Ser Marci
Iudex Marcus glauinich
Iudex Paulus quondam Ser Marci
Ser Tonsa quondam Ser Nicole

Comparauit Magister georgius sarctor quondam Stefani petens a Iudice Cosma radolich libras uiginti paruorum pro resto solutionis sex ducatorum auri quos dictus Iudex Cosma promisit reddere dicto georgio nomine capare unius terreni quod dictus geor-

gius emerat a predicto Iudice Cosma Cui petitioni predictus Cosma respondebat quod non tenebatur sibi in tot libris Vnde suprascripti domini de comuni concordio ambarum partium sententiauerunt & determinauerunt quod predictus Iudex Cosma debeat dare & soluere prefato georgio sarctori libras uiginti paruorum in tres terminos uidelicet usque ad festum sce Marie de mense augusti proxime futuri usque ad festum sci Michaelis proxime futurum & usque ad festum Natiuitatis domini nostri Iesu Christi proxime futurum Reseruato tamen iure predicto Iudici Cosme probandi in hos terminos si dedit plures denarios quam tresdecim libras predicto georgio nomine solutionis dictorum sex ducatorum & si probauerit plures denarios dedisse tunc dicti denarij debeant diffalcari de dictis libris uiginti.

SENTENTIA PETRI LASTINICH

Die 3.o mensis Madij sub arbore que est ante portam terre Fluminis sci Viti presentibus testibus presbitero Gaspare filio Iudicis ambrosij Ser Nicolao scabich.

Ibique sedentibus pro tribunali infrascriptis dominis quorum nomina inferius seriatim sunt notata Inprimis Spectabilis uir dominus Iacobus Raunacher honorabilis capitaneus dicte terre Fluminis Nobilis uir dominus Bartolus glauinich ad presens honorabilis iudex dicte terre Fluminis Iudex Vitus barolich ad presens iudex dicte terre Fluminis nomine ac vice Iudicis Nicolai quondam Ser Antonij

Iudex Iohannes Misuli
Iudex Ambrosius quondam Ser Marci
Iudex Iuacius quondam blasij
Iudex Stefanus roseuich
Iudex Maurus vidonich
Ser Stefanus blaxonich
Ser Tonsa quondam Ser Nicole

Comparauit Blasius quondam petri petens nomine agnie uxoris sue a petro fratre dicte Agnie partem bonorum Georgij lastinich patris predictorum Agnie & petri uti de Iure debet habere cum ipsa agnia & petrus sint equaliter filii predicti Georgij patris predictorum Agnie & petri cui petitioni predictus petrus respondit quod ipse possidebat & tenebat bona patris sui tanquam sua eo quod dictus quondam pater suo in suo ultimo testamento ipsi om-

nia sua bona dimisit & prefatee agnie sorori sue illam fecit partem que sibi uisa est Vnde suprascripti domini sedentes ut supra visis auditis & intellectis omnibus & singulis iuribus probationibus & allegationibus necnon uiso testamento predicti georgij olim patris predictorum Agnie & petri scripto manu Iudicis damiani quondam Matei de Iadra propter carentiam notarij non declinantes a dextris neque a sinistris Christi nomine inuocato a quo cuncta Iusta & recta procedunt Iuditia dixerunt declarauerunt & sententiauerunt & per diffinitiuam sententiam terminauerunt quod bona predicti georgij quondam patri predictorum Agnie & petri dimissa dicto petro sint & esse debeant ipsius petri absoluentes dictum Petrum a petitione predicti blasij tanquam iniusta & inepta.

Suprascriptis die loco ac testibus Coram suprascriptis dominis comparuit Blasius predictus petens nomine uxoris sue a suprascripto petro cognato suo Medietatem bonorum quondam Clare uxoris olim Matei de Castua sororis predictorum petri & agnie que bona predictus petrus possidet Qui petrus respondit quod predicta clara dimiserat sibi omnia sua bona & hoc intendit probare per predictos Blasium cognatum suum & agniam sororem suam & uxorem dicti blasij & non per alium

Suprascriptis die loco ac testibus Per suprascriptos dominos preceptum fuit Tomacio gregouich quatenus debeat fecisse murum qui est inter domum dicti Tomacij & domum Magistri Iohannis alamani sarctoris usque ad festum sci Michaelis de mense septembris.

Die quinto Iulij sub lobia comunis ubi ius redditur In terra Fluminis sancti Viti presentibus testibus Ser Teodoro quondam Dominici Martino terçich Vito sarctore omnibus habitatoribus dicte terre Fluminis & alijs Ibique Sedentibus pro tribunali infrascriptis dominis ad ius reddendum uocatisque aliquibus mercatoribus quorum nomina inferius seriatim sunt Notata. Inprimis Nobilibus viris Iudice Bartolo glauinich Iudice Nicolao quondam Antonij ad presens honorabiles Iudices dicte terre Fluminis Iohannes Misuli Iudex Ambrosius quondam Ser Marci Iudex Iuacius quondam blasij Iudex Stefanus roseuich Iudex Vitus suanich Iudex Cosma radolich Iudex Maurus vidonich Iudex Paulus quondam Ser Marci Iudex Vitus barolich Iudex Damianus quondam Matei Ser Stefano quondam blasij Ser Tonsa quondam Ser Nicole omnibus consiliarijs dicte terre Fluminis. Ser Si-

mone Vanni de Asculo Ser Toma Iacobi de Fano Ser Cola de barleta Ser Ada Antonij de Firmo Comparuit Ser Guarnerius Antonij de sco Elpidio ad mare tanquam procurator & procuratoris nomine Ser Iohannis Vagnareli cole Symonis de sancto Elpidio ad mare uti constat publico Instrumento procurationis scripto manu prouidi viri Ser Petri Antonij Ser Massij de sancto Elpidio ad mare publici ac legalis notarij uiso ac lecto a me notario infrascripto....

SENTENTIA PRO SER ANTONIO QUONDAM DOMINI GEORGIJ

Die XXX.o mensis augusti in publica platea terre Fluminis sci Viti presentibus Ser Castelino de pensauro Ser Rafaele de Fossambruno Ser Adam de Firmo omnibus mercatoribus in dicta terra Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Coram Nobilibus uiris Domino Bartolo glauinich domino Nicolao quondam Antonij tunc honorabilibus Iudicibus dicte terre Fluminis Comparuit Ser Antonius quondam domini georgij de segna petens A Cola Antonij luce de pensauro tanquam fideiussore Cristine habitatricis Segne ibidem presente libras decem paruorum pro affictu domus in qua dicta Cristina habitat Qui Cola confessus fuit se esse fuisseque fideiussorem dicte Cristine Vnde prefati domini Iudices dixerunt terminauerunt & sententiauerunt dictum Colam tanquam fideiussorem predicte Cristine ad dandum & soluendum dicto Ser Antonio libras decem paruorum & expensas secundum consuetudinem dicte terre Fluminis pro dicto affictu domus - De Mandato dictorum dominorum Iudicum scripsi & publicaui

Die 13 mensis nouembris sub lobia terre Fluminis Sci Viti vbi ius redditur Sedentibus pro tribunali ad ius reddendum Venerabile viro domino presbitero Mateo arcidiacono & plebano dicte terre Fluminis Nobilibus viris Iudice Mauro Vidonich Iudice Paulo quondam Ser Marci ad presens honorabilibus Iudicibus dicte terre Fluminis Iudice Iohanne Misuli Iudice Iuacio quondam blasij Iudice Cosma radolich Iudice Nicolao quondam Antonij Comparuit Frater Antonius de pago claustralis claustri Sancti Augustini dicte terre Fluminis petens a Vito quondam Iudicis Iohannis matronich undecim ducatos quos protestatus fuit contra dictum Vitum Et hoc pro quadam fideiussione facta a dicto Vito prefato patri Antonio pro quodam de creglino pro uno equo

presente dicto vito & respondente quod hec res & lis iam fuerat determinata & sententiata A nobilibus viris Iudice Iohanne Misuli tunc vicecapitaneo & Iudice Nicolao tunc temporis Iudice dicte terre Fluminis & Ser Tonsa quondam Ser Nicole Vnde audita petitione predicti Fratris Antonij & responsione dicti viti Prefati domini videlicet dominus Arcidiaconus Iudex Maurus Iudex Paulus Iudex Iuacius & Iudex Cosma interrogauerunt prefatos Iudicem Iohannem Misuli & Iudicem Nicolaum ibidem presentes quod dicere & declarare deberent qualiter hec lis fuerat determinata Qui responderunt quod uerum est quod coram eis comparuit Frater Antonius predictus petens a dicto vito tanquam plegio pro quodam equo quem uendiderat cuidam de creglino L 29 s 18 Qui Vitus respondit quod uerum est quod fuit plegius pro dicto equo pro quodam de creglino nuncio domini plebani de creglino hac conditione quod pro dicta plegiaria habere debebat domum dicti domini plebani de creglino francam & liberam in pignore eo quia dictus Frater Antonius dixit dicto Vito sis tu michi plegius pro denarijs dicti equi & domus plebani de creglino franca & libera erit tibi in pignore pro dictis denarijs quia dictus plebanus sic ipsam designauit michi Et ipsi hoc audito interrogarunt dictum Vitum si hoc probare poterat Qui Vitus respondit quod hoc probare poterat per dominum presbiterum Iacobum quondam Tomasoli Vnde conuocato dicto presbitero Iacobo Dixerunt partibus nos non debemus presbiteris dare sacramentum sed dominus Arcidiaconus ipsum super hoc faciet iurare aut vultis ipsi credere sine sacramento Qui Frater Antonius & Vitus responderunt quod eidem presbitero credere uolebant sine sacramento Vnde dictus presbiter Iacobus interrogatus quid sciret super hoc respondit quod uerum est quod dictus Vitus fuit plegius pro denarijs dicti equi dicto Fratri Antonio & Ipse Frater Antonius promisit domum dicti domini plebani de creglino francam & liberam dare dicto Vito in pignore pro denarijs dicti equi Quo audito sententiarunt & terminarunt quod dictus Vitus debeat deponere apud Nicolaum satnichum dictas libras XXVIIII & s 18 quandocumque ipse Frater Antonius dabit in pignore dicto Vito domum dicti plebani francham quod dictus vitus dare debeat dicto Fratri Antonio suprascriptas L 29 s 18 vnde prefati domini audita testificatione suprascriptorum Iudicis Iohannis Misuli & Iudicis Nicolai confirmarunt sententiam per ipsos & Ser Tonsam datam tanquam bonam & Iustam

Anno 1438

PRO BLASUTA & EIUS COGNATO

IN Christi nomine amen Die VII.o mensis Februarij in barbacano terre Fluminis Sci Viti presentibus presbitero Iohanne quondam Antonij Nicolao repeglia & alijs Ibique per dominum Capitaneum dominum Arcidiaconum Iudices & consilium datus fuit terminus blasio quondam petri & Petro lastinich suo cognato usque ad carnispriuium ad se concordandum ad inuicem de omnibus & singulis litibus quas simul habent aliter per ipsos procedetur uelut eis equum & Iustum videbitur

Die XXIII mensis Iunij sub lobia comunis vbi ius redditur per dominos Iudices & consilium datus fuit terminus Quirino quondam Michlini de Vegla & Ser Ade de Firmo comparendi in Iudicio die tercia post festum Sce Malgarite proxime futurum saluo tamen iusto impedimento

SENTENTIA BONORUM MATEI IAIÇE

Die XXVIII mensis Iulij in terra Fluminis In palatio magno Magnifici domini nostri de Valse Coram circumspecto ac generoso Milite domino Iohanne reychenburger necnon Spectabilibus viris Domino Iohanne obynburger capitaneo de prem Domino Iacobo Raunacher Capitaneo terre Fluminis predicte Comparuit Georgius Felgieuich de Costela petens a presbitero georgio colanich et Iudice georgio Suagliça de Castua Bona quondam Matei iaiçe tanquam affinis & propinquus eius presentibus dictis presbitero georgio & Iudice georgio et respondentibus quod dispensatio bonorum dicti quondam Matei pertinet ad eos tanquam commissarios uigore testamenti a dicto Mateo confecti quod exnunc producunt In fauorem iurium suorum In quo quidem testamento dictus quondam Mateus ellegit & esse voluit suos commissarios & testamenti executores prefatos presbiterum georgium et Iudicem georgium ad exeguendum & complendum omnia in testamento contenta dimittens in manibus eorum gaçam animam & corpus Qui georgius Fulgieuich respondit quod testamento non contradicebat sed tanquam affinis & propinquus dicti testatoris uidere uellet dispensationem bonorum dicti quondam Matei Vnde prefatus dominus Iohannes Reychenburger sedens pro tribunali cum suprascriptis dominis visis auditis & intellectis omni-

bus & singulis iuribus allegationibus probationibus & alijs quibuscumque rebus que predicte partes dicere producere & allegare voluerunt habitoque super his diligenti ac maturo consilio non declinans a dextris nec a sinistris Christi nomine inuocato a quo cuncta recta & Iusta procedunt iudicia Dixit declarauit & per diffinitiuam sententiam terminauit quod prefati presbiter georgius & Iudex georgius commissarij debeant executioni mandare & adimplere legata in testamento contenta secundum tenorem testamenti. Cetera uero bona dicti Matei testatoris debeant dispensari & distribui per Seniores Castue & prefatos commissarios & predictum georgium Felgieuich affinem dicti testatoris uelut ipsis melius uidebitur pro anima dicti testatoris

Lata data & in his scriptis sententialiter pronunciata & promulgata fuit suprascripta sententia per suprascriptum dominum Iohannem sedentem pro tribunali ad ius reddendum cum suprascriptis dominis Anno domini 1438 Indictione prima die XXVIII mensis Iulij presentibus Nobili viro Iudice Iohanne Misuli Iudice Ambrosio quondam Ser Marci & Iudice Nicolao quondam Antonij testibus ad hec uocatis & rogatis & scripta ac publicata per me notarium & cancellarium infrascriptum de Mandato suprascripti domini Iohannis.

Die 25 mensis Augusti sub arbore ante portam laurane a latere presentibus testibus Iudice Vito quondam Matchi Simone tolchouich Damiano quondam dragogne omnibus ciuibus terre Fluminis Sci Viti Ibique Coram Nobili viro Nicolao rayntalar capitaneo laurane Çupano petro çichouich Çupano georgio crismanich Çupano lauriça Iudice mali Iudice Antonio schubich Iudice grisano chorusaç Marco muçenich Laurentio veliano Tomina chulçich & georgio eius fratre Comparuit presbiter Ambrosius staraç de terra Fluminis Sci Viti querelam exponens contra & aduersus Iudicem Nicolaum quondam Antonij de dicta terra Fluminis ibidem presentem tanquam fideiussorem Andree olim eius famuli in eo de eo & super eo quod dictus Andreas una cum Iohanne Mucinich & Francisco de laurana fregerant sibi domum & acceperant sibi mustum quod sic non fuerit inuentum nec repertum Vnde prefatus dominus Capitaneus sedens pro tribunali ad ius reddendum cum suprascriptis Çupanis Iudicibus & consiliarijs visis & auditis omnibus & singulis que dicte partes dicere & allegare voluerunt habitoque super his diligenti consilio non

declinantes a dextris nec a sinistris Christi nomine inuocato a quo cuncta Iusta & recta iudicia procedunt Dixerunt declarauerunt absoluerunt & absolutum reddiderunt prefatum Iudicem Nicolaum a petitione predicti presbiteri Ambrosij ac eius querela tanquam iniustis & ineptis.

Die XX mensis decembris infrascripti domini & consiliarij videlicet generosus vir dominus Iacobus Raunacher venerabilis vir dominus presbiter Mateus arcidiaconus Nobiles viri Iudex Iohannes Misuli Iudex Vitus quondam Ser Matchi ad presens honorabiles Iudices dicte terre Fluminis Iudex Ambrosius quondam Ser Marci Iudex Marcus glauinich Iudex Stefanus rusouich Iudex Bartolus glauinich Iudex Maurus vidonich Iudex Cosma radolich Iudex Paulus quondam Marci Iudex Vitus barolich Iudex Nicolaus quondam Antonij Ser Stefanus blasonich existentes in barbachano dicte terre Fluminis Sci Viti preceperunt michi quatenus scribere deberem qualiter die quinto mensis septembris dum ego notarius infrascriptum essem vltra mare coram eis sub lobia comunis vbi ius redditur comparuerat Iudex Iuacius quondam blasij....

Die VIII mensis Madij In terra Fluminis Sci Viti In Statione mei notarij infrascripti Coram Nobilibus & egregijs viris domino Iacobo Raunacher honorabili Capitaneo dicte terre Fluminis domino Bartolo Misuli honorabili Capitaneo Castue deputatis per Strenuum Millitem dominum Iohannem Reychenburger honorabilem Capitaneum Duini & Crassie pro Magnifico domino de Walse ad infrascriptam diferentiam videndam & determinandam Sedentibus nobilibus viris Iudice Iohanne Misuli Iudice Ambrosio quondam Ser Marci Iudice Stefano rusouich Comparuit Iohannes Xutouich de Castua asserens & dicens qualiter in lite quam habet cum presbitero Marco fratre suo occassione bonorum tam paternorum quam maternorum lata fuit & data Sententia per Terrigenas apud Scum Iacobum a prelucha anno preterito die uero XXVI mensis Iulij quam Sententiam in Sclabonico scriptam produxit coram Iudicio in fauorem iurium suorum Qui domini uisa lecta & intellecta suprascripta Sententia uisis etiam auditis & intellectis petitione prefati Iohannis xutouich & responsione predicti presbiteri Marci omnibusque iuribus & allegationi-

bus ac omnibus & singulis que dicte partes dicere & allegare uoluerunt non declinantes a dextris nec a sinistris habito super his diligenti consilio ac matura deliberatione Christi nomine inuocato a quo cuncta iusta & recta procedunt Iudicia dixerunt terminauerunt & sententiauerunt quod suprascripta sententia producta coram ipsis per suprascriptum Iohannem in omnibus & singulis sit firma & rata additientes quod si predictus presbiter Marcus aliqua bona emit de suis proprijs bonis & hoc probauerit per testes fidedignos eadem bona sint & esse debeant eiusdem presbiteri Marci Et si dictus presbiter Marcus aliquod debitum patris siue matris soluit quod tantum habere debeat de suprascriptis bonis paternis & maternis quantum fuit debitum quod soluit. Probando per testes Fidedignos - Ordinauerunt quod testes producendi debeant iurare.

Anno 1439

SENTENTIA FLORENTINI DE SIROLO CONTRA SIGNORUM DE CLOUCA

Die nono mensis Iulij In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Vito matronich Georgio glada pilipario Paulo slobaç pilipario omnibus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Coram Nobili Viro domino Vito quondam Matchi honorabili Iudice dicte terre Fluminis Sedente pro tribunali ut moris est comparuit Florentinus quondam Antonij de Sirolo petens a Signoro quondam Bartolomei de clouca ibidem presente & confitente ducatos quinque boni auri & iusti ponderis & bononienses quinque pro quadam plegiaria & fideiussione quam fecit prefato Florentino pro pelegrino cila de clouca occasione certe quantitatis vini vendite dicto pelegrino a prefato Florentino Qui dominus Iudex audita et intellecta suprascripta petitione prefati Florentini nec non confessione predicti Signori Christi nomine inuocato a quo cuncta recta & iusta procedunt Iudicia dixit terminauit & Sententiauit predictum Signorum tanquam plegium & fideiussorem dicti pelegrini ad dandum & soluendum prefato Florentino ducatos quinque auri & quinque bononienses & iustas expensas Reseruato tamen iure dicto Signoro aduersus predictum plegrinum.

SENTENTIA CONTRA SIUICHUM QUONDAM BLASIJ PILAR

Die XXVI mensis Augusti In publica platea terre Fluminis Sancti Viti Presentibus testibus Vito matronich Ser Rafaele Martino bechario Ibique Cum equus Petri de Marthia potocha sarcinarij fuisset in damno in vineis repertus & ductus die 25 instantis ad terram Fluminis qui relatu dicti petri datus fuerat in custodia Xiuicho quondam blasij pilari & ei promiserat dare duos solidos quod ipsum pasceret & mane duceret ad terram Fluminis & die XXV mensis presentis coram ipsis iudicibus fuisset & ante latam sententiam discessisset quem Marcus preco tota ipsa die domi & alibi per terram Fluminis quesiuit et quia dicto petro difficile est expectare Idcirco Nobiles viri dominus Iohannes Misuli & dominus Vitus quondam Matchi honorabiles Iudices dicte terre Fluminis proclamare fecerunt die prescripto prefatum Xiuicum quatenus coram ipsis comparere debeat usque ad horam terciarum responsurus predicto petro occassione prescripti damni dati & extimati libris nouem & solidis duodecim ab extimatoribus dicte terre Fluminis aliter ipso non comparente procedent contra dictum Xiuicum uti eis de Iure melius uidebitur Qui domini Iudices considerato quod prefatum Xiuicum expectarunt non solum usque ad horam terciarum sed ad meridiem & comparere noluit sententiarunt prefatum Xiuicum ad soluendum & satimfaciendum damnum illatum per equum dicti petri extimatum L 9 s 12

SENTENTIA PRO FRATERNITATE SCE MARIE DE TERRA FLUMINIS

Die XVIIII mensis octobris Sub lobia comunis vbi ius redditur presentibus testibus Curilo de la cupriua Iohanne barlech Quirino cigantich omnibus habitatoribus dicte terre Fluminis Ibique Sedentibus pro tribunali Spectabili ac generoso viro domino Iacobo Raunacher honorabili Capitaneo venerabili viro domino presbitero Mateo arcidiacono & plebano Nobilibus viris

domino Iohanne Misuli
domino Vito quondam Matchi
ambobus honorablibus Iudicibus dicte terre Fluminis
Iudice Stefano rusouich
Iudice Marco glauinich
Iudice Cusma radolich

Iudice Vito barolich
Iudice Nicolao Micholich
Ser Stefano blasonich
Ser Tonsa quondam Ser Nicole
Ser Mateo quondam Ser donati

omnibus consiliarijs dicte terre Fluminis Comparuit Paulus golçich de grubinico petens a fraternitate Sce Marie de dicta terra Fluminis tanquam herede Iudicis Iuacij quondam blasij quamdam vestem dicti quondam Iudicis Iuacij quam dixit dictum quondam Iudicem Iuacium ipsi promisisse dum viueret & hoc probare volebat Cui petitioni Iudex Ambrosius quondam Ser Marci tamquam commissarius dicti quondam Iudicis Iuacij & senior dicte fraternitatis respondebat quod dictus quondam Iudex Iuacius paucis diebus antequam moriretur iacens infirmus suum condidit testamentum in quo nullam fecit mentionem de dicta veste sed heredem vniuersalem instituit dictam fraternitatem in omnibus suis bonis Qui domini auditis & intellectis suprascriptis petitione & responsione necnon omnibus & singulis que dicte partes dicere & allegare voluerunt Dixerunt terminauerunt & sententiauerunt quod testamentum dicti quondam Iudicis Iuacij scriptum manu mei notarij infrascripti anno domini 1439 Indictione secunda die tercio mensis Marcij sit firmum & ratum & in omnibus & singulis plenissimam obtineat firmitatem et robus

Anno 1440

COMPROMISSUM RAINALDI BENUENUTI DE MUTINO

Die 14 menss Aprilis In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Iudice Nicolao micholich Iudice Cosma radolich Nicolao Frecino de Venetijs omnibus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Cum Verteretur lis & controuersia Inter Rainaldum quondam benuenuti de Mutina parte vna & Antonium de russis carpentarium de Venetijs parte altera eo quod dictus Antonius cum suo quodam barcusio detulit vinum ad terram Fluminis quod eidem prefatus Rainaldus consignauerat quod ferret Venetias Volentesque dicte partes parcere expensis ac laboribus qui possent euenire Promiserunt & compromiserunt tam de iure quam de facto comuniter & concorditer In prouidos viros Iudicem Mateum quon-

dam Ser donati Ser Castelinum Iohannis de pensauro Ser Antonium Iohannis Feste de Ancona Ser Adam Antonij de Firmo tanquam in arbitratores & amicabiles compositores dispensatores & bonos viros Promittentes prefatus Rainaldus & dictus Antonius scilicet vna pars alteri vicissim solemnibus stipullationibus hinc inde interuenientibus & ipse ambe partes mihi notario infrascripto tanquam publice persone stipullanti & respondenti vice ac nomine omnium quorum interest uel in futurum poterit interesse stare fare obedire & non contrafacere uel venire per se uel alios aliqua ratione causa uel ingenio de iure uel de facto omni & singule Sententie Laudo arbitrio terminationi definitioni & pronunciationi que uel quas prefati arbitri arbitratores & amicabiles compositores super predicta lite & controuersia & dependentibus & connexis ab eis dixerint fecerint pronunciauerint definierint sententiauerint terminauerint aut arbitrati fuerint cum scriptura uel sine semel uel pluries diebus feriatis & non feriatis eundo sedendo stando quomodocunque quandocunque qualitercunque & vbicunque cum iuris cognitione & solemnitate uel sine partibus presentibus uel absentibus sub pena ducatorum quinquaginta auri cuius pene medietas sit & esse debeat Comunitatis terre Fluminis & altera medietas partis parentis & obseruantis stipullatione inter partes & ab ipsis ambabus partibus in singulis capitulis huius contractus insolidum promissa que totiens insolidum com.... & exigi possit quotiens contrafactum fuerit & refectione damnorum & expensarum litis et extra cum obligatione omnium bonorum utriusque partis Qua pena soluta uel non omnis tamen & singula Sententia terminatio laudum arbitrium definitio & pronunciatio que uel quas prefati Arbitri arbitratores & amicabiles compositores fecerint dixerint pronunciauerint terminauerint siue arbitrati fuerint rate & firme uel rata & firma persistant & presens Instrumentum plenissimam obtineat firmitatem & robus omni & singula iuris ac litis exceptione cessante penitus & remota

SENTENTIA

In Christi nomine amen Nos Iudex Mateus quondam Ser donati Ser Castelinus Iohannis de pensauro Ser Antonius Iohannis Feste de Ancona Ser Adam Antonij de Firmo Arbitri arbitratores amicabiles compositores & dispensatores electi per suprascriptas partes uti plene in suprascripto Instrumento compromissi continetur Omnes quatuor vnanimiter & concorditer nemine nostrum in ali-

quo discrepante Christi nomine inuocato a quo cuncta recta & Iusta procedunt Iudicia sedentes pro tribunali in Statione prefati Ser Castelini quem locum elegimus ad hanc sententiam nostram pronunciandam vissis auditis & intellectis omnibus & singulis que dicte partes dicere & allegare uoluerunt Dicimus pronunciamus sententiamus & per hanc difinitiuam sententiam terminamus quod nouem sarcine vini quas prefatus rainaldus dedit arimini dicto Antonio & vnus ducatus auri quem idem Antonius habuit a prefato rainaldo sint & esse debeant dicti Antonij pro Naulo suo barchusij Item dicimus pronunciamus & sententiamus quod octo ducati & solidi 84.or quos dedit dictus Antonius prefato Rainaldo in dicta terra Fluminis sint & esse debeant prefati Rainaldi eo quod dictus Antonius vendidit vnam vegetem vini prefati Rainaldi sine eius licentia Item dicimus pronunciamus & sententiamus quod dictus Antonius dare reficere & soluere teneatur prefato Rainaldi ducatos viginti auri & solidos octuaginta quatuor sfalcatis tamen in hac ratione ducato vno auri & solidis viginti octo quos prefatus Rainaldus recepit in dicta terra Fluminis a dicto Antonio Et hoc pro expensis quas idem Rainaldus fecit discedens arimino & veniendo ad terram Fluminis quesitum dictum antonium & in custodiendo barchusium in dicta terra Fluminis ac omnibus & singulis expensis damno & interesse quas quomodocunque idem Rainaldus passus est ob hanc causam Item dicimus pronunciamus & sententiamus quod omnis & singula quantitas vini existens in barchusio dicti Antonij & prefato Rainaldo designata sit & esse debeat prefati Rainaldi absque aliquo impedimento dicti Antonij Item dicimus pronunciamus & sententiamus quod dictus Antonius teneatur & debeat concedere suum barchusium sine aliqua solutione prefato Rainaldo pro conducendo dictam quantitatem vini Segnam et quod prefatus Rainaldus debeat & teneatur facere exonerare dictum barchusium cum appulerit Segnam infra terminum quinque dierum & dictum barchusium reduci facere in fluium iuxta terram Fluminis Sancti Viti vbi nunc est omnibus suis expensis quamcitius exonerato vino & dictus barchusius vadat & redeat periculo & risico prefati Rainaldi Item dicimus pronunciamus & sententiamus quod barchusius dicti Antonij sit & esse debeat pro pignere & securitate prefato Rainaldo usque ad integram satisfactionem suprascriptorum viginti ducatorum auri & solidorum octuaginta quatuor Intelligendo tamen quod predictus barchu-

sius non possit vendi uel incantari siue sbastari usque ad terminum dierum quadragintaquinque proxime secutorum A die qua predictus barchusius reducetur Segna ad fluium terre Fluminis predicte Et partibus ambabus de omnibus & singulis differentijs que suprascripta ex causa oriri siue nasci possent perpetuum silentium imponentes.

Lata data & in his scriptis Sententialiter pronunciata & promulgata fuit suprascripta sententia per suprascriptos dominos Arbitros arbitratores & amicabiles compositores Anno domini Millesimo CCCCXXXX Indictione tercia die XVI.to mensis Aprilis & lecta ac promulgata per me Antonio de reno notarium & cancellarium infrascriptum presentibus Iudice Cusma radolich Ser Stefano quondam blasij Ser Tonsa quondam Ser Nicole omnibus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac etiam ambabus partibus presentibus.

COMPROMISSUM HEREDUM QUONDAM MICHLINI DE VEGLA & ADE ANTONIJ DE FIRMO

Die XVI mensis Aprilis In publica platea terre Fluminis Sci Viti Presentibus Ser Ançelino bonfiolo Ser Antonio Pertusano Ser Cola Antonij luce de pensauro Ser Rafaele de Fossambruno Mochoro Seualich omnibus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Cum verteretur lis & controuersia Inter Ser Nicolaum Marcouich tanquam procuratorem Commissarie Michlini de Vlachi uti constat de Mandato manu Dominici quondam gregorij de Vegla publici notarij anno domini 1438 Indictione prima die sexto mensis Iunij a me notario infrascripto visso & lecto pro qua Commissaria promisit de rato & rati habitudine & quirinus & nicolaus quondam Michlini de Vlachi suo nomine ac nomine & vice Marci & bartolomei fratrum suorum & filiorum quondam Michlini predicti pro quibus promiserunt de rato & rati habitudine parte vna Et Adam Antonij de Firmo suo nomine et etiam tanquam procurator Ser Tomasij quondam Antonij Vagni de Firmo habens ad infrascripta plenam libertatem uti constat publico Instrumento procurationis scripto manu Ser Guidonis quondam Ser Jacobi dicti Comucij de Spegnimbergo publici notarij ac Cancelarij Ciuitatis Segne a me notario infrascripto uiso & lecto parte altera Tam occasione Mercatorum naulorum & carachie quam omnium & singularum differentiarum que quomodocunque essent et oriri siue nasci po-

tuissent usque ad presentem diem inter predictas partes nominibus quibus supra Volentesque dicte partes parcere laboribus et expensis qui in futurum possent euenire Promiserunt & compromiserunt sponte tam de iure quam de facto comuniter & concorditer in prouidos viros Iudicem Iohannem Misuli Iudicem Ambrosium quondam Ser Marci Iudicem Nicolaum Micholich Ser Castelinum Iohannis de pensauro Ser Antonium Iohannis Feste de Ancona tanquam in Arbitros arbitratores & amicabiles compositores dispensatores & bonos viros Promittentes prefate partes nominibus quibus supra scilicet vna pars alteri vicissim solemnibus stipullationibus hinc inde interuenientibus & ipse Ambe partes michi notario infrascripto tanquam publice persone stipullanti & respondenti vice ac nomine omnium quorum interest uel in futurum poterit interesse Stare parere obedire & non contrafacere uel venire per se uel alios aliqua ratione causa uel ingenio de iure uel de facto omni & singule Sententie laudo Arbitrio terminationi difinitioni & pronunciationi que uel quas prefati arbitri arbitratores & amicabiles compositores super predictis lite controuersia ac differentijs dixerint fecerint pronunciauerint definiuerint sententiauerint terminauerint siue arbitrati fuerint cum scriptura uel sine semel uel pluries diebus feriatis & non feriatis eundo sedendo stando quomodocunque quandocunque qualitercunque & vbicunque cum iuris cognitione & solemnitate uel sine partibus presentibus uel absentibus sub pena ducatorum ducentorum auri cuius medietas sit & esse debeat dominj seu Comunitatis sub quo facta siue mota fuerit lis siue questio contra Sententiam laudum arbitrium terminationem difinitionem & pronunciationem que uel quas prefati arbitri arbitratores & amicabiles compositores dixerint fecerint pronunciauerint difinierint sententiauerint terminauerint siue arbitrati fuerint Et Altera medietas partis parentis & obseruantis id quod per predictos Arbitros arbitratores & amicabiles compositores dictum factum pronunciatum difinitum Sententiatum terminatum siue arbitratum fuerit stipullatione inter ipsas partes nominibus quibus supra & ab ipsis ambabus partibus nominibus quibus supra in singulis capitulis huius contractus solemni insolidum promissa que totiens insolidum committatur & exigi possit quotiens contrafactum fuerit & refectione damnorum & expensarum litis & extra cum obligatione bonorum vtriusque partis Qua pena soluta uel non omnis tamen & singula sententia laudum arbitrium terminatio difinitio & pro-

nunciatio quel uel quas prefati arbitri arbitratores & amicabiles compositores dixerint fecerint pronunciauerint difiniuerint sententiauerint terminauerint siue arbitrati fuerint rate & firme uel rata & firma persistant et presens Instrumentum compromissi plenissimam obtineat firmitatem et robur omni & singula iuris ac litis exceptione cessante penitus & remota.

IN Christi nomine amen Coram nobis Iohanne Misuli Ambrosio quondam Ser Marci Nicolao Micholich Antonio Iohannis Feste de Ancona Castelino Iohannis de pensauro Arbitris Arbitratoribus & amicabilibus compositoribus & dispensatoribus electis per suprascriptas partes nominibus quibus supra vti plene in suprascripto Instrumento continetur Comparuerunt Ser Nicolaus Marcouich Et quirinus et nicolaus fratres & filii quondam Michlini de Vlachi nominibus quibus supra dicentes & asserentes se habere debere nominibus quibus supra ab Adam Antonij de Firmo nominibus quibus supra infrascriptas quantitates pecunie videlicet li heredi de Michlino di Vlachi deno auer da Tomaso dantonio de vagni da Fermo e da Adamo per tuto el viaçio de puglia per

Spese ducati 18 doro zoe	duc.	18	s
Item deno auere per Spexe fate per rescore la carachia quando fu presa per contrabando da quili darbi	duc	10	s
Item de auere li mando contanti	duc	90	s 100
Item de auere Schose Tomaso condam Antonio a Cersato	duc	8	s 13
Item de auere Schose Tomaso condam Antonio .	duc	24	s 21
Item de auere Schose Tomaso condam Anto ducati	duc	22	s 109
Item de auere li manda contanti ad Adamo per Bartolomeo so fradelo	duc	18	s 60
Item de Auere liquali li de in Vegla contanti . .	duc	40	s
Item de Auere liquali manda per vino da Fiume .	duc	49	s 62
Item de Auere liquali schose Adamo condam Antonio	duc	9	s 70
Item de Auere per viaçi (3) fe con la carachia auanti la morte de Michlino	duc	37	s 55
Item de Auere per anni (2) mesi XI tene Tomaso e Adamo, la Carachia nauigando con esa a ogne soa voluntade liquali nui prefati Arbitri, arbitratori &c habiamo taxati	duc	70	s —

Similiter coram nobis comparuit Adam Antonij de Firmo nominibus quibus supra asserens se habere debere ab heredibus Michlini infrascriptas pecunie quantitates

Tomaso e Adamo deno Auere Receui Michlino da Tomaso da Fermo per comprare grano A bene e male	duc 281	s	—
Item deno auere per guadagno de chara 16 de grano al quale fu venduto a Vegla como Apare per man de Tomaso	duc 31	s	—
Item deno auere per perdita de vno caro de faua	duc —	s	10
Item deno Auere per perdita de pignate . . .	duc —	s	50
Item deno Auere per guadagno de ligname . .	duc 10	s	40
Item deno Auere per vno viaçio fe con biaxolo .	duc 4	s	30
Item deno Auere per la mitade dela cunça dela charachia	duc 4	s	92
Item deno Auere per resto de vna bota doio . .	duc 29	s	18

Nos vero Iohannes Misuli Ambrosius quondam Ser Marc. Nicolaus micholich Antonius Iohannes Feste de Ancona Castelinus Iohannis de pensauro Arbitri arbitratores amicabiles compositores & dispensatores electi per suprascriptas partes ut supra Sedentes pro tribunali in Stationi prefati Ser Castelini quem locum elegimus ad hanc nostram sentenciam pronunciandum vissis auditis & intellectis omnibus & singulis que dicte partes nominibus quibus supra dicere & allegare voluerunt non declinantes a dextris neque a sinistris habitis super his diligenti consilio sapientum ac matura deliberatione Christi nomine inuocato a quo cuncta recta & iusta procedunt Iudicia dicimus pronunciamus sentenciamus & per hanc nostram sentenciam difinituam terminamus quod Adam Antonij de Firmo nominibus quibus supra dare & soluere teneatur Ser Nicolao Marcouich Quirino & Nicolao de Vlachi fratribus nominibus quibus supra ducatos triginta octo auri et solidos triginta nouem paruorum Et hoc pro resto & complemento solutionis omnium & singularum rationum & differentiarum quas habuissent actenus seu habere potuissent quacumque ex causa heredes quondam Michlini de Vlachi de Vegla cum prefatis Tomasio quondam Antonij Vagni de Firmo et Adam de Firmo Quam quidem pecunie quantitatem dare & soluere tenetur prefatus Adam nominibus quibus supra predictis heredibus quondam Michlini siue eorum nuncio usque ad festum penteco-

stes proxime futurum & dicti denarij non possint sequestrari siue impediri aliqua ex causa Imponentes predictis partibus nominibus quibus supra perpetuum silentium pro omnibus & singulis litibus controuersijs differentijs quas habuerunt siue habere potuerunt simul predicte partes Nominibus quibus supra quacunque ex causa usque ad presentem diem Reseruantes tamen predicto Ser Ade nominibus quibus supra omnes & singulas actiones ac iura que uel quas haberet aduersus Ser Tomam Lodouici de Segna quauis ex causa

Lata data & his scriptis sententialiter pronunciata & promulgata fuit suprascripta sententia per suprascriptos dominos arbitros arbitratores & amicabiles compositores anno MCCCC XXXX Indictione tercia die vigessimo mensis Aprilis presentibus Iudice Mauro vidonich Iudice cosma radolich Rafaele de Fossambruno testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs

Reseruantes etiam predicto Ade nominibus quibus supra ius in starolis 239 frumenti ad misuram veglensem et quod defecit de onere frumenti de Appulia in manibus Michlini et etiam reseruantes prefato Ade nominibus quibus supra ius si posset ostendere quod heredes quondam Michlini de Vlachi tenerentur pro oleo recepto A Tomasio & Adam predictis ultra suprascriptam quantitatem ducatorum 29 s 18

PRO ANTONIO BLASIJ DE BURGO CONTRA COLAM DE PENSAURO

Die XXVIIII mensis Madij In publica platea terre Fluminis Sci Viti Coram Strenuo Millite domino Martino Raunacher vicecapitaneo domino Ambrosio quondam Ser Marci honorabili Iudice dicte terre Fluminis Iudice Damiano quondam Matei Comparuit Magister Antonius Blasij de burgo petens A Cola Antonij luce de pensauro ibidem presente vaselos quatuor vini id est vaselos quatuor et id quod retrasit de vino, quos dicto cole recomisit quod venderet quando iuit vltra mare Qui cola respondit quod dictus Antonius rogauit eum quod vellet vacuare penu in quo erant dicti vaselli & ipsos vasselos ponere in suum penu et quod dum hauriret dictum vinum pro portando in aliud penu ipse Cola vendidit tantum de dicto vino quantum ascendit ad quantitatem librarum uiginti duarum paruorum &c Vnde suprascripti domini visa & audita petitione predicti Magistri Antonij et responsione prefati cole ter

minarunt & sententiauerunt quod dictus Cola accedere debeat Segnam expensis predicti Antonij usque ad octo dies proxime futuros sub pena librarum decem paruorum & predictum Antonium facere contentum de dictis libris vigintiduabus quas confessus fuit se recepisse & eidem Antonio rationem reddere de dictis vasselis vini & de retratu ipsius vini. De Mandato scripsi quia non interfui

Die XV mensis Iulij In Statione mei notarij infrascripti In Terra Fluminis Sci Viti presentibus Nobili viro domino Andrea pos capitaneo castri noui Iudice Paulo lustalar de lubiana Antonio Festa peregrino laurentij Ciriaco Bartolini Angnelo cristiano his omnibus de Ancona testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Coram Spectabili ac generoso viro domino Martino Raunacher vicecapitaneo Nobilibus viris domino Ambrosio quondam Ser Marci domino Mateo quondam Ser Donati tunc honorabilibus Iudicibus dicte terre Fluminis Comparuerunt Tomas cuchar et Staraç ambo habitatores buchari tanquam nuncij Capitanei & regiminis buchari...

COMPROMISSUM MAGISTRI NICOLAI CALAFATI DE VENETIJS & LUCE MICHAELIS DE RAGUSIO

Die XVIII mensis septembris In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Iudice Mateo quondam Ser donati Laurentio quondam blasij marinario Nicolao quondam Iacobi de Venetijs omnibus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uovatis & rogatis ac alijs Ibique cum verteretur lis & controuersia Inter Magistrum Nicolaum calafatum de Venetijs ciuem Ancone parte vna et lucam Michaelis de Ragusio parte Altera occassione nauis quam facere incepit dictus Magister Nicolaus promiserunt & compromiserunt sponte tam de iure quam de facto comuniter & concorditer in magistrum petrum Calafatum de Vegla Magistrum Milasinum calafatum de Iadra Dominicum carpentarium de Iadra Iohannem louum de Segna tanquam in arbitros arbitratores & amicabiles compositores Promittentes predicte partes scilicet vna pars alteri vicissim solemnibus stipullationibus hinc inde interuenientibus & mihi notario infrascripto tanquam publice persone stipullanti & respondenti vice ac nomine omnium quorum interest uel in futurum poterit interesse quicquid per suprascriptos Arbitros arbitratores & amicabiles compositores dic-

tum factum terminatum diffinitum Sententiatum & arbitratum fuerit cum scriptura uel sine diebus feriatis & non feriatis eundo sedendo stando partibus presentibus uel absentibus perpetuo habiture firmum & ratum sub pena ducatorum quadraginta auri cuius pene medietas sit & esse debeat suprascriptorum arbitrorum & altera medietas partis parentis & obseruantis Qua pena soluta uel non omnis tamen sententia laudum arbitrium terminatio diffinitio & pronunciatio que uel quas dicti arbitri arbitratores & amicabiles compositores fecerint dixerint pronunciauerint sententiauerint firme & rate ac firma & rata persistant.

SENTENTIA

Vltrascripto die In Terra Fluminis Sci Viti in strata ante domum Iudicis Ambrosij quondam Ser Marci presentibus dicto Iudice Ambrosio georgio contouich Martino grubich omnibus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Nos Petrus calafatus de Vegla Milasinus calafatus de Iadra Dominicus carpentarius de Iadra Iohannes louo de Segna Arbitri arbitratores & amicabiles compositores electi per Magistrum Nicolaum calafatum de Venetijs ciuem Ancone parte vna & lucam Michaelis de Ragusio parte altera vti plene in Instrumento compromissi continetur stantes in suprascripto loco quem elegimus ad hanc nostram sententiam pronunciandam vissis auditis & intellectis omnibus & singulis que dicte partes dicere & allegare voluerunt tam oretenus quam in scriptis non declinantes a dextris neque a sinistris Christi nomine inuocato a quo cuncta recta & iusta procedunt iudicia Dicimus pronunciamus sententiam & per hanc nostram diffinitiuam Sententiam terminamus quod lucas prefatus dare & soluere teneatur dicto Magistro Nicolao ducatos triginta-quinque auri pro opere quod vident facto in naui incepta Reseruantes ius dicto Magistro Nicolao petendi prefatum lucam pro diebus quibus dixit se laborasse in Insula Vegle Medulini & in badolo & etiam seccasse & de expensis quas dicit se fecisse seccatoribus aliquibus diebus

Lata data & in his scriptis Sententialiter pronunciata fuit suprascripta sententia per suprascriptos arbitros arbitratores & amicabiles compositores Anno ac testibus suprascriptis

Anno 1441

PRO CURILO DE LA CUPRIUA

In Christi nomine amen In Terra Fluminis Sci Viti in Stuba Valentini quondam Iurlini Coram Strenuo Millite domino Iohanne Reichenburger honorabili capitaneo duini & Crassie Sedente cum generoso millite domino Martino Raunacher Nobili viro domino Iacobo Raunacher honorabili capitaneo dicte terre Fluminis Nobili viro domino Iohanne obernburger capitaneo premi domino Oldorico de Vngerspach capitaneo gotnici dominis Iudicibus & consiliarijs terre Fluminis predicte comparuit Curilus quondam Tome asserens & dicens qualiter emit vnam vineam a quodam presbitero Ambrosio staraç positam nareçiçach pro libris centum vti constat Instrumento emptionis publico scripto manu Christofori quondam Magistri Artuici de buleis tunc cancellarij dicte terre Fluminis Anno domini MCCCCXVIII Indictione vndecima die XI mensis Februarij & nunc dictam vineam non tenet nec potest tenere libere eo quod capitulum terre Fluminis singulo anno vult pro liuello libras nouem vnde petebat per suprascriptos dominos Valentinum quondam Iurlini ibidem presentem cogi tanquam heredem dicti presbiteri Ambrosij ad restituendum ipsi Curilo dictam vineam liberam & francam sine aliquo onere feudi siue dasionis uti ipsam emit Qui dominus Iohannes Reychenburger sedens pro tribunali cum suprascriptis dominis auditis & intellectis omnibus que dicte partes dicere & allegare uoluerunt tam oretenus quam in scriptis Christi nomine inuocato a quo cuncta iusta & recta procedunt Iudicia dixit terminauit & sententiauit quod dictus Curilus habere debeat dictam vineam liberam & francam sine aliquo onere liuelli uel feudi siue dasionis & de ipsa possit disponere libere tanquam de re propria & suam omnimodam facere voluntatem

Lata data & in his scriptis Sententialiter pronunciata & promulgata fuit suprascripta Sententia per suprascriptum circumspectum Millitem dominum Iohannem sedentem cum suprascriptis dominis Anno domini MCCCCXXXXI Indictione quarta die secundo mensis Februarij

SENTENTIA PRO ÇUPANO FILIPO DE CASTUA

In Christi nomine amen in terra Fluminis Sancti Viti in Stuba Valentini quondam Iurlini Strenuus ac potens

dominus Iohannes Reychenburger sedens cum generoso millite domino Martino raunacher Nobili viro domino Iohanne obernburger capitaneo premi Nobili viro domino Oldorico de Vngerspach capitaneo gotinici absoluit & absolutum reddidit Çupanum Filipum quondam quirini de Castua presentem a petitione domini presbiteri Iohannis çicade de castua qui petebat a predicto çupano Filipo marchas quinque denariorum quas dictus presbiter Iohannes deposuerat apud predictum çupanum ad petitionem fraternitatis Altaris Sci Martini de Castua Quas quidem Marchas predictus çupanus dedit Suetine muschieniçanin tanquam gastaldioni fraternitatis altaris predicti eo quod dicte quinque marche iuste & recte pertinebant & spectabant prefate Fraternitati.

Lata data & in his scriptis sententialiter pronunciata & promulgata fuit suprascripta Sententia per suprascriptum circumspectum millitem dominum Iohannem sedentem cum suprascriptis dominis Anno domini MCCCCXXXXI Indictione quarta die tercio mensis Februarij

Die XXI mensis Februarij sub arbore ante portam terre Fluminis Sci Viti a mari Iudices & consilium terre....

SENTENTIA PRO IUDICE DAMIANO

De VIII mensis Maij In Statione Iudicis Nicolai micholich in publica platea terre Fluminis Sci Viti Coram Nobilibus uiris Iudice Vito barolich Iudice Iohanne Misuli Iudice Vito quondam Matchi Iudice Cosma radolich Iudice Nicolao micholich Comparuerunt Mateus stipçich & Marcus gener miculini petentes A Iudice Damiano quondam Matei ibidem presente ducatos septem pro salario quondam Stefani qui stetit cum dicto Iudice damiano pro vno anno Item petebant duos ducatos quos dicebant dictum quondam Stefanum concessisse quondam cresolo fratri dicti Iudicis Damiani Item petebant libras septem eo quod dictus quondam Stefanus pauerat sibi aliquos porcos Item petebant libras quinque paruorum eo quod dictus quondam Stefanus pauerat sibi aliquos porcos qui erant dicti Iudicis Damiani & Venerabilis Viri domini presbiteri Matei plebani Cregnini Qui Iudex Damianus respondit quod pro toto tempore quo steterat cum ipso dictus quondam Stefanus soluit sibi integre & quod de duobus ducatis quos petunt nomine mutui quod ipse nihil scit & quod in dictis septem libris soluit dicto quondam Stefano solidos

septuagintanouem Item respondit quod de quinque libris quos petunt ipsi pro medietate quod ipse non accordauit dictum quondam Stefanum sed prefatus plebanus accordauit vnde quicquid conuincent prefatum plebanum in iure ego volo soluere medieta tem Qui prefati domini Iudices auditis & intellectis omnibus & singulis que dicte partes dicere & allegare voluerunt tam oretenus quam in scriptis sententiarunt quod si predicti Mateus & marcus possunt probare quod dictus quondam Iudex aliquid teneatur soluere pro salario vnius anni dicti quondam Stefani quod tunc dictus Iudex Damianus teneatur soluere quicquid probabunt sin autem dictus Iudex Damianus teneatur Iurare hac in re. Item sententiarunt quod dictus Iudex Damianus teneatur Iurare pro duobus ducatis quod ipse nichil scit quod dictus quondam Stefanus concessit ipsos quondam cresolo fratri suo Item sententiarunt quod pro libris septem quos petunt pro labore pascendi dictus Iudex Damianus teneatur iurare quod dederit sibi in hac ratione septem librarum solidos LXXVIIII qui Iudex Damianus Iurauit ut moris est terre Fluminis quod ipsos dedit in ratione septem librarum quas petunt ut supra Item sententiarunt quod quicquid ipsi probabunt per prefatum dominum plebanum cregnini ipsum plebanum accordare dictum quondam Stefanum pro Pascendo porcos quos habebant simul quod dictus Iudex Damianus teneatur soluere medietatem

SENTENTIA LUCIE BARBICHIEUE

Die XV mensis Maij In publica platea terre Fluminis Sci Viti Iudex Vitus barolich ad presens honorabilis Iudex dicte terre Fluminis precepit michi quatenus scribere deberem qualiter ipse Iudex Vitus vna cum Iudice Nicolao micholich sententiauerunt & terminauerunt quod Iohannes dictus Sandai de grobinico ibidem tunc presens dare & restituere debeat Lucie barbichieue terenum Curiam & tigurium coperta & in illo statu in quo ipsa terrenum curia & tigurium fuerunt quãndo peruenerunt ad manus ipsius Iohannis & dicta lucia teneatur & debeat dare & numerare prefato Iohanni omnes denarios quos dedit pro exigendo ipsa terrenum Curiam & tigurium De Mandato scripsi.

SENTENTIA PRO ANÇE SARCTORE

Die XVIIII mensis Maij In publica platea terre Fluminis Sci Viti Iudex Vitus barolich ad presens honorabilis

Iudex loco Iudicis Mauri Vidonich preceperunt michi quatenus scribere deberem qualiter die XVI mensis Maij In Statione Iudicis nicolai micholich sedentes pro tribunali prefati Iudices vna cum venerabili viro domino presbitero Mateo arcidiacono & plebano nobilibus viris Iudice Iohanne Misuli Iudice Ambrosio quondam Ser Marci Iudice Stefano ruseuich Iudice Nicolao micholich Ser Stefano blasinich Sententiarunt & terminauerunt quod Ielena soleroua non possit facere aliquam exedram nec hostium super Andronela que est inter dictam Ielenam & Iohannem sarctorem quondam bertoldi de alemania nec aliquod ius habet super dicta andronela saluo quod aqua tecti dicte Ielene possit cadere in dictam Andronelam et quod prefatus Iohannes possit & valeat suas scalas facere contiguas parieti dicte Ielene. de Mandato scripsi

Anno 1442

INDICTIONE QUINTA

SENTENTIA PRESBITERI MARCI XUTOUICH & IOHANNIS EIUS FRATRIS

Die septimo mensis Ianuarij In Terra Fluminis Sci Viti In Statione mei notarij infrascripti Coram spectabili viro domino Iacobo Raunacher honorabili capitaneo dicte terre Fluminis Nobili Viro Bartolo Misuli Capitaneo castue Comparuerunt Iudex Ambrosius quondam Ser Marci de dicta terra Fluminis Çupanus Volcina Çupanus Iohannes Sormich Iudex Antonius Farchlinouich Iudex Iacobus & Quirinus spinçich omnes de Castua Dicentes & asserentes qualiter de anno domini 1440 Indictione tercia die vigessimo sexto mensis Iullij prope scum Iacobum de la prelucha ipsi tanquam arbitri arbitratores & amicabiles compositores electi per presbiterum Marcum Xutouich de Castua & Iohannem eius fratrem dixerunt terminauerunt & Sententiauerunt quod Iohannes prefatus habere deberet vineam que dicitur osliçinschy francam hac tamen conditione quod dictus Iohannes dare deberet matri predictorum presbiteri Marci & ipsius Iohannis singulo anno medietatem omnium vsufructuum dicte vinee quousque ipsa viveret & dictus presbiter marcus habere deberet pastinum & vnam peciam vnius vinee que dicitur drasiceueschi & etiam domus media in

qua habitat dictus presbiter Marcus esse deberet libera ipsius presbiteri Marci Item quod post mortem matris dictorum presbiteri Marci & Johannis Coquina & omnia alia bona tam paterna quam materna deberent diuidi equaliter inter ipsos fratres hac tamen conditione quod tenerentur honeste & iuste nutrire matrem suam tribus mensibus pro singulo siue plus uel minus uelut erunt inter ipsos concordes & uterque ipsorum teneret & gubernaret ipsa bona vno anno ipsa tamen bona nullo modo valerent nec possent vendere siue allienare Et in casu quo dicti fratres nollent matrem suam nutrire quod tunc ipsa posset & valeret pro suo nutrimento vendere et allienare prefata bona cum voluntate regiminis Castue Item quod omnia bona tam paterna quam materna que prefatus Marcus presbiter exegisset siue emisset suis denarijs deberent diuidi inter ipsos fratres equaliter hoc tamen pacto quod omnium & singulorum denariorum quos prefatus marcus presbiter probauisset siue probaret se dedisset nominibus quibus supra dictus Iohannes dicto presbitero Marco dare & soluere tenebatur medietatem per terminum trium annorum proxime futurorum videlicet partem terciam usque ad festum Sci Iacobi tunc proxime futurum & aliam usque ad aliud festum Sci Iacobi proxime futurum & aliam terciam partem vsque ad aliud tercium festum Sci Iacobi futurum anno tunc sequenti Item quod dictus Iohannes dare & soluere tenebatur prefato presbitero Marco per terminos suprascriptos terciam partem vini quod pater ipsorum fratrum emerat a paulo Soidanich de Castua Imponentes predictis partibus perpetuum silentium pro omnibus & singulis litibus controuersijs & differentijs quas habuerunt siue habere potuerunt predicte partes quacumque ex causa usque ad suprascriptum diem Et quod predicte partes teneantur & debeant omnia & singula attendere & obseruare sub pena librarum centum & perdendi partem suam dictorum bonorum Cuius pene librarum centum medietas sit Magnifici domini nostri domini de Valse & altera predictorum arbitrorum arbitratorum & amicabilium compositorum Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta Quam Sentenciam prefati Nobiles viri dominus Iacobus Raunacher et Bartolus Misuli laudauerunt & confirmauerunt Interponentes eorum decretum & autoritatem

SENTENTIA PRESBITERI MARCI & EIUS CONCUBINE

Die XXI.o mensis Ianuarij In Terra Fluminis Sci Viti In domo Iudicis Matei quondam Ser donati prope plateam Spectabilis & egregius vir dominus Iacobus Raunacher Capitaneus Iudex Vitus barolich Ad presens Iudex et alij consiliarij dicte terre Fluminis preceperunt sententiauerunt & terminauerunt quod dominica filia presbiteri marci radolich cum sit legitime etatis sit in sua libertate si uult obedire patri suo uel non Item dixerunt sententiauerunt & terminauerunt quod prefatus presbiter Marcus nullam teneatur reddere rationem docle Misenice concubine sue de bonis siue rebus ipsius docle quas ipse usufructuauit siue gauisus est et similiter dicta docla nulla nullam teneatur reddere rationem prefato presbitero Marco de bonis siue rebus ipsius presbiteri Marci quas ipsa usufructauit siue gauisa est Saluo quod aliqua bona siue res quas dicta docla dixit se habere in pignere a prefato presbitero Marco ipse teneatur exigere Iurando tamen ipsa docla se ipsas res habere in pignere & pro quanto

ABSOLUTIO MOCHORI SEUALICH

Die quarto mensis Iunij In Statione mei notarij infrascripti prefati dominus Capitaneus Iudices & consilarij absoluerunt Mochorum seualich presentem a petitione librarum viginti septem paruorum quas petebat Simon pilar tanquam Gastaldio Fraternitatis Sci Michaelis.

Anno 1443

COMPROMISSUM IOHANNIS VICARICH & BARTOLOMEI MATIUCIJ DE FIRMO

N Christi nomine amen anno natiuitatis eiusdem MCCCCXXXXIII.o Indictione sexta Die quarto mensis Aprilis In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Petromarino quondam rimidij & Gaspare Antonij ambobus de Firmo Antonio de Monte albodio omnibus ad presens habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique cum verteretur lis & controuersia Inter Ser Iohannem matiucij de Firmo suo nomine ec nomine & vice Antonij luce de Firmo socij sui parte vna & Iohannem filium Strenui millitis domini Nicolai de barnis parte altera occassione trium vegetum plenarum olei quinque caratelorum pleno-

rum ficubus oneratarum & oneratorum in nauigio prefati domi-
ni Nicolai a suprascripto Antonio luce et proiectarum ac proiec-
torum ob maris tempestatem in mare Volentes dicte partes nomi
nibus quibus supra parcere laboribus & expensis promiserunt
sponte et compromiserunt tam de iure quam de facto comuniter
& concorditer In prouidos viros Iudicem Maurum vidonich Iudi-
cem Nicolaum micolich et Iudicem Mateum quondam Ser donati
tanquam in arbitros arbitratores & amicabiles dispensatores &
compositores & bonos uiros Promittentes prefate partes nomini-
bus quibus supra scilicet vna pars alteri uicissim solemnibus sti-
pullationibus hinc inde interuenientibus & ipse ambe partes mi
chi notario infrascripto tanquam publice persone stipullanti &
recipienti uice ac nomine omnium quorum interest uel poterit in-
teresse Stare parere obedire & non contrafacere uel uenire per
se uel alios aliqua ratione causa uel ingenio de iure uel de facto
omni & singule sententie laudo arbitrio terminationi diffinitioni
& pronunciationi que uel quas prefati arbitri arbitratores & ami-
biles compositores super predictis & ab ipsis dependentibus di-
xerint fecerint pronunciauerint diffiniuerint sententiauerint ter-
minauerint seu arbitrati fuerint cum scriptura uel sine semel
uel pluries diebus feriatis & non feriatis eundo sedendo stando
quomodocunque quandocunque & vbicunque cum iuris cognitione
& solemnitate uel sine partibus presentibus uel absentibus sub
pena ducatorum quinquaginta auri cuius pene medietas sit &
esse debeat prefatorum arbitrorum arbitratorum & amicabilium
compositorum & altera medietas partis parentis & obseruantis id
quod per ipsos dictum factum pronunciatum diffinitum senten-
tiatum terminatum siue arbitratum fuerit stipullatione in singulis
capitulis huius contractus solemni insolidum per ipsas partes &
ab ipsis ambabus partibus nominibus quibus supra promissa que
totiens insolidum committatur & exigi possit quotiens contrafac-
tum fuerit & refectione damnorum & expensarum litis & extra
cum obligatione bonorum utriusque partis Qua pena soluta uel
non omnis tamen & singula Sententia laudum arbitrium termina-
tio diffinitio & pronunciatio que uel quas prefati arbitri arbitra-
tores & amicabiles compositores dixerint fecerint pronunciaue-
rint diffiniuerint sententiauerint terminauerint siue arbitrati fue-
rint rate & firme uel rata & firma persistant & presens Instru-
mentum plenissimam obtineat firmitatem & robur omni & singula
iuris ac litis exceptione cessante penitus & remota.

SENTENTIA IUDICIS MATEI & STEFANIJ

In Christi nomine amen Nos Iudex Ambrosius quondam Ser MarciAnçelinus bonfiolo de Florentia castelinus Iohannis de pensauro & Antonius filius Francisci de reno cancelarius terre Fluminis arbitri arbitratores amicabiles compositores & dispensatores electi per Iudicem Mateum quondam Ser Donati & stefanum Marci calelli de ancona uti constat instrumento compromissi scripto manu Ser Antonij de reno cancelarij predicti anno domini 1442 die XXI.o mensis Agusti Sedentes pro tribunali in Statione prefati Antonij cancelarij quem locum elegimus ad hanc nostram sententiam pronunciandam visis auditis & intellectis omnibus & singulis que dicte partes dicere & alegare uoluerunt tam oretenus quam In scriptis. Christi nomine inuocato a quo cuncta recta & iuxta procedunt Iudicia dicimus pronunciamus & sententiamus & per hanc nostram sententiam diffinituam terminamus & arbitramus vigore libertatis nobis concesse quod stefanus Marci callelli de Ancona dare & soluere teneatur ac debeat Iudici Mateo quondam Ser Donati usque ad XV dies proxime futuros ducatos nonaginta vnum boni auri & iusti ponderis & solidos triginta quatuor paruorum Et hoc pro resto & complemento solutionis omnium & singularum rationum ac differentiarum quas predicte partes actenus habuissent siue habere potuissent simul quacunque ex causa usque ad presentem diem Et quod predicte partes sint libere & absolute a societate quam simul fecerant per decem annos Et quod coria siue pelles magne et ferrum que sunt pensauri in manibus bartoli de la çichina libere remaneant prelibato Iudici Mateo Reseruantes tamen predicto Stefano actionem & ius contra predictum Iudicem Mateum pro ducatis sex auri quos dicit uxorem suam dedisse prefato Iudici Mateo pro emendo assides in absentia dicti stefani si hoc poterit probare Imponentes predictis partibus perpetuum silentium sub pena in instrumento compromissi contenta pro omnibus & singulis litibus controuersijs & differentijs quas ipse partes quomodocunque simul habuissent siue habere potuissent quacunque ex causa usque ad presentem diem

Lata data et in his scrittis sententialiter pronunciata et promulgata fuit suprascripta sententia per suprascrittos dominos arbitros arbitratores et amicabiles compositores anno domini 1442 indictione quinta die vigessimo octauo mensis agusti presentibus bartolo de la çichina de pensauro bartolomeo antonij & bartolo-

meo mateuçij ambobus de firmo & tomasio quondam tome de vegla testibus ad hec uocatis et rogatis hac alijs quam pluribus

Ego Maurus Vidonich ciuis predicte terre Fluminis publicus imperialij auctoritate notarius his omnibus interfuij et de mandato suprascriptorum dominorum arbitrorum & arbitratorum scripsi

SENTENTIA AMBROSIJ MATCHI PILAR

Die nono mensis septembris In Statione mei notarij infrascripti presentibus Adam Antonij de Firmo Martino aurifice de Segna Grisano quondam Martini de Pago omnibus ciuibus terre Fluminis Sci Viti testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Venerabilis Vir dominus presbiter Mateus Arcidiaconus & plebanus Iudex Stefanus ruseuich Iudex Vitus quondam Matchi Iudice Vito barolich absente presente Iudice Damiano retulerunt mihi notario infrascripto qualiter ipsi tanquam arbitri & arbitratores electi per Iudicem Damianum quondam Matei de Iadra predictum & Ambrosium quondam Matchi secatoris de anno domini proxime preteriti die sexto mensis nouembris sentenciauerunt et arbitrati fuerunt quod dictus Iudex Damianus dare debeat et soluere teneatur pro affictu secce dicti Ambrosij libras ducentos & quadraginta paruorum predicto Ambrosio usque ad carnispriuium tunc proxime futurum hac conditione quod predictus Ambrosius in prescripto debito librarum ducentarum & quadraginta teneatur & debeat diffalcare omnes & singulos denarios quos dare tenebatur prefatus quondam Matchus seccator prefato Iudici Damiano Item dixerunt qualiter sententiauerunt quod dictus Iudex Damianus dare & soluere teneatur ac debeat predicto Ambrosio pro damno et interesse dicte secce quam promisit deuastare libras ducentas & quinquaginta vnam paruorum usque ad tres annos proxime futuros videlicet singulo anno in festo Sci Martini terciam partem incipiendo A Festo Sci Martini de Anno Domini 1443. E quod dicta Secca cum iuribus & pertinencijs suis libera remaneat Ambrosio predicto. Preceperuntque dicti Arbitri & arbitratores prefatis partibus quod omnia & singula suprascripta obseruare debeant & adimplere Sub pena ducatorum centum auri cuius pene medietas sit & esse debeat Comunis dicte terre Fluminis & altera medietas dictorum arbitrorum & arbitratorum. Eisdem autem die & hora Iudex Vitus barolich in curia domus sue coram testibus suprascriptis & me notario

infrascripto rectificauit & affirmauit omnia & singula supra scripta.

IN Christi nomine Amen Anno domini MCCCCXXXXIII Indictione sexta

Hec est Copia compromissi facti et contracti Inter Iudicem Andream de Crastouiça ex vna parte et Iudicem Quirinum spinçich de Castua ex altera & scripti manu Ser Ade Antonij de Firmo precibus ambarum partium propter absentiam mei notarij infrascripti cuius tenor talis est ut infra.

Al nome de dio A die 26 de otobre del 1443. Sia noto e manifesto a çascaduno che vedera ouer leçara questo presente scrito como çudexe Andrea de Crastouica e çudexe quirino spinçich de ogne loro diferencia e dogne loro fato e raxone auesseno abuto a fare in seme per fina aldie presente fano compromeso e comprometeno da cordo e de loro spontanea voluntade et eleçeno per arbitri arbitradori e compositori li infrascripti Çoe çudexe Andrea predicto eleçe per sua parte li nobili homini Antonio de Terençi da pesaro e çudexe Nicholò de Antonio da Fiume El dito çudexe quirino spinçich Eleçe zudexe Moro da Fiume e zudexe Antonio de Castoa che possano de raxone e de fato sentenciare achunciare e arbitrare tra de loro come meglio a loro parera E prometendo çascuno de loro contentare tuto quelo che li diti arbitri farano e de non contradire soto pena de ducati trexento doro a quela parte che contradirà Çoe che ducati venghano Al Signore e ducati 100 A li arbitri e 100 ala parte che contentasse E perche qui al presente non çe el cançelero del Comune Io Adamo de Antonio da Fermo ho fato e scripto questo compromesso de loro volunta e Aloro pregere de mia propria mano presente Iacomo de Antonio da Fiume Bartolomeo de Matiuço da Fermo e buciarelo da Ortona

Hec est copia Sententie late per suprascriptos arbitros arbitratores & amicabiles compositores et scripte per Ser Antonium de Terençi de pisauro prefatum cuius tenor talis est de verbo Ad verbum ut infra

Al nome de dio A die XXVIII dotobre 1443 in Fiume. Io Antonio de Terençi da pesaro facio ricordo como la sentencia data per Nuij arbitri li quali siamo stati electi per çudexe Andrea da Crastouiça e per çudexe quirino spinçich de ogne loro ragio-

ne e diferencia auuta fina al presente die çoe semo stati arbitri del dito çudexe Andrea çudexe Nicholo de Antonio da Fiume e Io Antonio de Terençi da pesaro E de çudexe quirino spinçich e stato zudexe Moro da Fiume e zudexe Antonio da Castoa e auemo sentenciado in questa forma como aparera qui de soto E prima che zudexe Andrea e debitore del dito çudexe quirino spinçich per panno bambaxe e altre merchantie aue da lui più tempo fa ducati quatrocento setanta seij çoe ducati 476 e de questo erano dacordo çoe che la dita roba volemo dibia tuta remanere al dicto zudexe Andrea e desa non dibia dare alcuno guadagno al dito zudexe quirino ne perdita ne metergli a conto spexe ne alcuna altra cosa sopra esa fate

Apresso el dito zudexe Andrea de auer dal dito çudexe quirino ducati trexento setanta tri çoe ducati 373 e sono per boi cento sexanta çoe 160 liquali zudexe Andrea gli a asignati che cosi vengono de cauedale fina a buchariço con tute spese e pui gli auemo açonto sedexe ducati liquali zudexe Andrea dixeua auer speso de piu siche fa ducati trecento otanta noue liquali boij çudexe Andrea predito dixe auerli conduti per compagnia de tuti duij loro e cusi auemo sentenciato chel bene el male che seguira deli diti boi vada per la mitade de loro duij e che tute le spexe chel dito quirino ha fato sopra li diti boi començando a bucharicio e de qua de tuto gliene de refara la mita el dito zudexe Andrea e de quante ne fara sopra li diti boi

E pui de auere el dito zudexe Andrea per chauedale çoe per resto e per guadagno de duj muli e de cauale ducati noue soldi quatro çoe ducati 9 s 4

E de auere per resto de arçento li de che monto ducati trentoto sbatuto el perire che naue resta ducati quatordexe soldi otantaquatro çoe ducati 14 s 84

E de auere che de al fradelo de dito zudexe quirino per comparare vno caualo ducati tredexe e meçio elqual caualo sentenciamo remanga al dito zudexe Quirino çoe ducati 13 s 57

E sentenciemo chel dito Chirino li dibia dare per marche quatordexe darçento ducati setanta zoe ducati 70 e per tre marche mancho doe oncie dasprj ducati quindexe che fa in tuto ducato otantacinque zoe ducati 85

E de auere el dito zudexe Andrea per resto de boi vintioto per guadagno e tuto ducati cinquanta çoe ducati 50 Siche tuta questa soma di auere çudexe Andrea monta ducati cinquecento

sexanta vno e soldi trenta vno çoe ducati 5661 s 31 de li quali se di sbatere ducati quatrocento setantasei chel dito zudexe Chirino di auer da luj çoe ducati 476 E pui se di sbatere tute le spexe chel dito çudexe Chirino ha fato e fara sopra li diti boi çoe la mitade E se de li diti boi se guadagnara o perdera al finire desi farano ragione e refara luno alaltro E deli boi dexesete chel dito zudexe Andrea dixeua auer mesi cherano perduti e morti doueuano andare in la dita compagnia glili auemo anichiladi perche in la soma de sopra gli auemo fato bono quel piu che çe paruto e de stato de suo contento.

E pui auemo anichilade tute altre spexe del dito çudexe Chirino excepte quele ha fato e fara sopra li diti boi

E pui le spexe chel dito zudexe chirino dixe auer fato sopra famegli che glia mandati e salario dessi tute anichilemo

E pui ducati 19 - chel dito zudexe Chirino dixe auer dati per dani e interessi e questo perchel dito zudexe Andrea non glia atexo a tempo quelo che lui gliauea promeso e questo anichilemo

E pui anichilemo ducati cinque liquali dixe Chel fradelo aueua spexi suxo a Castrouiça in andare e tornare

E pui sentenciamo che la roba chel dito zudexe Chirino dixe auer fato venire da Venexia per soa comissione remagna al dito zudexe Chirino

E pui sentenciemo che niuna cosa ne niuna spexa possa pui metere a conto luno alaltro e laltro aluno Anichilando ogne cosa aueseno auuto a fare inseme fina al presente die excepta questa de boi E de le spexe sopra essi como se contene de sopra E perche zudexe Andrea resta adauer e non sieglie fa dare sie perche di boi se perdera secondo che mostra perche sono morti e morino tuto el die. Et Io Antonio sopradito ho fato questo de mia propria mano per suo richordo.

Lata & data fuit suprascripta Sentencia per suprascriptos Arbitros Arbitratores et amicabiles compositores Die XXVIII mensis octobris Anno domini Millessimo quadrigentessimo quadragessimo Tercio In Statione Petrimarini de Firmo In Terra Fluminis Sci Viti presentibus Spectabili ac generoso viro domino Iacobo Raunacher honorabili capitaneo dicte terre Fluminis Ser Mateo quondam Ser donati ad presens Iudice dicte terre Fluminis

SENTENTIA SER ANÇELINI & IOHANNIS VICARICH

Die XVI mensis Ianuarij In Statione mei notarij infrascripti Ambo Iudices et consilium Terre Fluminis predicte Audita petitione Ser Iohannis filij domini vicarij Segne & responsione Antonij de monte albodio nomine Ser Ançelini bonfiolo de Florentia ac omnibus & singulis que dicte partes dicere & allegare voluerunt Christi nomine inuocato a quo recta procedunt Iudicia dixerunt terminauerunt & sentenciauerunt quod dictus Ser Iohannes ostendere & demonstrare debeat quam commissionem dedit prefato Ser Ançelino et dictus Ser Ançelinus Iurare debeat quo & quanto precio vendiderit oleum dicti Ser Iohannis et quas res receperit pro dicto oleo et quo & quanto precio ipsas recepit

Anno 1444

COMPROMISSUM GEORGIJ ET PETRIMATEI DE ARIMINO

IN Christi nomine amen anno natiuitatis eiusdem Millesimo quadrigentessimo quadragessimo quarto Indictione septima die XIII.o mensis Marcij In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Simone tinctore quondam petri de Iadra buciarelo quondam Cole de Ortona et Antonio quondam Nicolai de Montealbodio omnibus ad presens habitantibus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis specialiter & rogatis ac alijs Ibique cum verteretur lis & controuersia Inter Georgium quondam Ser Nicolai olim cancelarij Segne parte vna et Petrummateum quondam Vgulini de Arimino suo nomine & tanquam procuratorem & procuratorio nomine Francisci Georgij de modrussia habitatoris Murani parte altera tam occasione rerum acceptarum per comitem Chersi per contrabannum Naulorum salarijque & expensarum dicti Francisci quam omnium & singularum differentiarum quas quomodocunque haberent siue habere possent uel potuissent quacunque ex causa usque ad presentem diem volentes parcere laboribus & expensis sponte promiserunt & compromiserunt tam de iure quam de facto comuniter & concorditer in prouidos viros Ser Antonium Terentij de pensauro & Ser Adam Antonij de Firmo tanquam in arbitros arbitratores et amicabiles compositores dispensatores & bonos viros Promittentes prefate partes nominibus quibus supra scilicet vna pars alteri vicissim solemnibus stipullationibus hinc inde

interuenientibus stare parere obedire & non contrafacere uel uenire per se uel alios aliqua ratione causa uel ingenio de iure uel de facto omni & singule Sententie laudo arbitrio terminationi diffinitioni & pronunciationi que uel quas prefati arbitri arbitratores & amicabiles compositores dixerint fecerint pronunciauerint diffiniuerint Sententiauerint terminauerint siue arbitrati fuerint cum scriptura uel sine semel uel pluries diebus feriatis & non feriatis eundo stando sedendo quomodocunque quandocunque qualitercunque & vbicunque cum iuris cognitione & solemnitate uel sine partibus presentibus uel absentibus sub pena ducatorum quinquaginta auri cuius medietas sit & esse debeat dominij sub quo questio mouetur & altera medietas partis obseruantis & parentis Sententie Laudo arbitrio & terminationi que uel quas prefati arbitri & arbitratores dixerint fecerint sententiauerint seu terminauerint Qua pena soluta uel non omnis tamen Sententia Laudum arbitrium terminatio diffinitio & pronunciatio que uel quas prefati arbitri arbitratores & amicabiles compositore dixerint fecerint pronunciauerint terminauerint diffiniuerint Sententiauerint siue arbitrati fuerint rate & firme uel rata & firma perdurent omni exceptione cessante penitus & remota

SENTENTIA GEORGIJ CANCELARICH ET PETRIMATEI DE ARIMINO

In Christi nomine Nos Antonius Terentij de pensauro & Adam Antonij de Firmo arbitri arbitratores & amicabiles compositores & dispensatores electi per Georgium quondam Ser Nicolai olim cancelarij Segne parte vna et Petrummateum Vgulini de Arimino suo nomine & tanquam procurator & procuratorio nomine Francisci georgij de modrusia parte altera uti constat Instrumento compromissi scripto manu mei notarij infrascripti anno domini 1444 die XIII mensis Marcij Stantes in publica platea terre Fluminis Sci Viti quem locum ellegimus ad hanc nostram Sententiam pronunciandam visis auditis & intellectis omnibus & singulis que dicte partes dicere & allegare uoluerunt tam oretenus quam in scriptis Christi nomine inuocato a quo cuncta recta & iusta procedunt Iudicia dicimus pronunciamus & sententiamus & per hanc nostram Sententiam diffinitiuam terminamus & arbitramus vigore libertatis nobis concesse quod Georgius predictus dare & soluere debeat predicto petromateo tanquam procuratori & procuratorio nomine prelibati Francisci de modrusia tam per eius salario quam per

expensis ac alijs rebus quibuscunque ducatos septem auri & quod prefatus Petrus Mateus dare & soluere debeat predicto Georgio ducatos septem auri quos septem ducatos volumus et arbitramus quod prefatus Petrus mateus dare & soluere debeat dicto Francisco de Modrussia pro illis septem ducatis quos sententiamus predictum Georgium ad dandum & soluendum dicto Francisco Et quod predictus Petrus mateus sit liber ac absolutus a fideuissione quam pro ipso fecit Iudex Mateus quondam Ser donati capitaneo Castri Cersati Imponentes predictis Georgio & Petromateo nominibus quibus supra perpetuum silentium pro omnibus & singulis litibus controuersijs ac differentijs quas quandocunque ex quacunque causa simul haberent uel habere possent & potuissent usque ad presentem diem Sub pena in Instrumento compromissi contenta. Quam sententiam prefate partes nominibus quibus supra laudauerunt & contentarunt Facientes vna pars alteri vicissim finem remissionem quietationem & pactum de vlterius non petendo de omnibus et singulis ad que vna pars alteri quacunque ex causa teneretur siue teneri possit usque ad presentem diem.

Lata data & in his scriptis sententialiter pronunciata & promulgata fuit suprascripta Sententia per suprascriptos dominos arbitros arbitratores & amicabiles compositores Anno Domini MCCCCXXXXIIII.to Indictione septima Die XVI mensis Marcij presentibus Iudice Damiano quondam Matei Rafaele de Fossambruno Ser Iohanne Matiucij de Firmo omnibus ad presens habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis specialiter & rogatis ac alijs

PRO IUDICE VITO ROSSO & NICOLAO RAINTALAR

Die XIII mensis Aprilis In Statione mei notarij infrascripti presentibus Magistro Georgio sarctore Mateo cersato testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Iudex Stefanus russeuich Iudex Tonsa quondam Ser Nicole Teodorus quondam dominici Agabitus contouich misi a domino Capitaneo ac regimine terre Fluminis predicte habentes ab ipsis domino capitaneo & regimine plenam libertatem ad omnia & singula infrascripta sententiarunt & terminarunt in diferentia que vertitur Inter Iudicem Vitum quondam Ser Matchi ex vna parte & Nicolaum raintalar ex altera pro confinibus orti quod confines debeant perpetuo stare vbi nunc ipsi Iudices signa posuerunt et

quod dictus Nicolaus reddere debet terrenum dicto Iudici Vito quod accepit Imponentes prefati Iudices suprascriptis partibus penam librarum centum quod omnia & singula attendere & obseruare debeant cuius pene medietas sit & esse debeat comunis dicte terre Fluminis & altera suprascriptorum Iudicum

SENTENTIA PRO DRASIGNA DE CASTUA

Die XX mensis Aprilis ante portam Castue presentibus Petro Sebegnich Iohanne xutouich Iohanne textore omnibus habitatoribus Castue testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Nobilis vir bartolus mateieuich capitaneus Çupanus xauida Çupanus Iohannes Sormich Çupanus Filipus pilipich Çupanus volcina schontrich Iudex Antonius Forchlinouich et Iacobo Stepchouich Coram suprascriptis domino Capitaneo Çupano Iudicibus & omnibus consiliarij Castue sedentibus pro tribunali Comparuit Suetina de Muschieniça ciuis Castue petens a Drasigna poglainich presente vnam vegetem vini modiorum duodecim quod vinum dictus Suetina dicebat prefatum drasignam vendidisse ad Tabernam et negante predicto drasigna se dictum vinum vendidisse neque habuisse Interrogatus fuit prefatus Suetina a suprascriptis dominis si ea que dicebat probare poterat qui asseruit se hoc velle probare per aliquos testes qui quidem testes examinati & interrogati delato eis prius iuramento de Veritate dicenda dixerunt et testificati fuerunt quod verum est quod ipsi testes audiuerunt dictum Suetinam loquentem cum prefato drasigna quod venderet sibi dictum vinum sed nesciunt si prefatus Drasigna vendiderit dictum vinum aut non Qua testificatione audita ac omnibus & singulis iuribus utriusque partis prefati dominus Capitaneus Çupanus Iudices ac consiliarij omnes non declinantes a dextris nec a sinistris Christi nomine inuocato a quo cuncta recta et iusta procedunt Iudicia dixerunt terminauerunt & per diffinitiuam Sententiam absoluerunt et absolutum reddiderunt prefatum Drasignam a petitione predicti Suetine tanquam iniusta & inepta.

SENTENTIA ENRICI DE CASTUA

Die XXIII mensis Madij Ante portam Castue in loco iuris solito presentibus Iohanne Sutouich Nicolao poglainich Martino Crossaij omnibus habitatoribus Castue testibus ad hec

uocatis & rogatis ac alijs Ibique Nobilis Vir Bartolus mateieuich Capitaneus Çupanus Sauida Iudices et consiliarij Castue omnes simul & concorditer retulerunt michi notario infrascripto qualiter coram eis sedentibus pro tribunali comparuit Bartolus dragolubich petens ab Enrico filio Malgarite uxoris Curili de Castua vnam vineam positam in districtu Castue in loco dicto chochorichia erth iuxta Çupanum Iohannem Sormich et Marcum musgolinich que fuit Draguie uxoris quondam Cusme budiç Qui Enricus respondebat quod dictam vineam bene possidebat eo quod ipsam vineam prefata Draguia cum viro suo dederant ipsi Enrico in pignus quamque poni fecit ad incantum publicum secundum consuetudinem Castue pro libris duodecim et sic eidem Enrico remansit ad publicum incantum Quodque prefatus Enricus coram suprascriptis dominis testibus fidedignis probauit Quapropter prefati dominus capitaneus Çupanus Iudices & consiliarij sedentes pro tribunali dixerunt terminauerunt diffiniuerunt & sententiauerunt quod dicta vinea bene fuit vendita ad publicum incantum prefato Enrico & quod sit dicti Enrici et de ipsa vinea suam omnimodam facere possit voluntatem tanquam de re propria.

SENTENTIA MATEI SCHERLICH

Vltrascriptis die ac loco presentibus Iudice Cosma radolich Stefano mortath Petro glauinich omnibus de Flumine testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Nobilis Vir Bartolus mateieuich Çupanus Xauida Iudices & consiliarij Castue omnes simul & concorditer retulerunt mihi notario infrascripto qualiter coram ipsis sedentibus pro tribunali comparuit Quirina uxor quondam Matei papich de Castua Petens a Mateo Scherlich de Castua vnam vineam positam in districtu Castue iuxta dictum Mateum & georgium tolinich que iam fuit dicte Chirine Qui Mateus respondit quod dictam vineam emerat a predicta Quirina & eius viro pro marchis VII.tem & integre soluerat Quod probauit sic esse testibus fidedignis coram suprascriptis dominis Quapropter Prefati dominus Capitaneus Çupanus Iudices & consiliarij dixerunt terminauerunt diffiniuerunt & sententiauerunt quod prefata vinea sit & esse debeat prelibati Matei scherlich et de ipsa vinea suam omnimodam facere possit voluntatem tanquam de re propria

SENTENTIA TOMASINI TANQUAM PROCURATORIS NICOLAI COLESINI DE VEGLA

Die XXIII mensis octobris In lobia comunis terre Fluminis Sci Viti presentibus Vito matronich Antonio rossouich Iohanne barlech omnibus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Spectabilis ac generosus vir dominus Iacobus Raunacher Capitaneus Iudex Mateus quondam Ser donati Iudex Stefanus blasinich ad presens honorabiles Iudices dicte terre Fluminis Iudex Ambrosius cresolich Iudex Stefanus russeuich Iudex Vitus quondam Ser Matchi Iudex Maurus vidonich Iudex Cosma radolich Iudex vitus barolich Iudex Damianus quondam Ser Matei Iudex Tonsa quondam Ser Nicole omnes consiliarij dicte terre Fluminis sedentes pro tribunali in suprascripto loco dixerunt terminauerunt sententiauerunt & diffiniuerunt unanimiter & concorditer quod Bascha Slachiichieua teneatur et debeat restituere & designare Tomasino de Caldana de Vegla tanquam procuratori Nicolai colesini de Vegla infrascripti omnes & singulas res siue bona que fuerunt Stefani olim filij dicti Nicolai colesini de Vegla qui Stefanus obijt in dicta terra Fluminis in domo dicte basche de anno instanti nisi dicta bascha probauerit ipsas res siue bona sibi relicta fore a dicto Stefano secundum consuetudinem dicte terre Fluminis usque ad octo dies proxime futuros Hac tamen conditione quod dictus Tomasinus nomine quo supra teneatur & debeat prefate basche soluere iustas expensas factas in sepeliendo prelibatum Stefanum.

Anno 1445

SENTENTIA IN FAUOREM IUDICIS VITI ROSSO & IUDICIS IURCHI DE DREUENICO PRO BONIS ALIQUIBUS SER CASTELINI

IN Christi nomine amen Anno natiuitatis eiusdem Millesimo quadringentesimo quadragessimo quinto Indictione octaua Die XXVII mensis Ianuarij In Terra Fluminis Sci Viti In Statione Iudicis Nicolai micolich Spectabilis ac geneorsus vir dominus Iacobus Raunacher Capitaneus Iudices et Consilium dicte terre Fluminis preceperunt mihi notario infrascripto quod Sententiam latam per ipsos dominos die XXVI mensis instantis in suprascripto loco ad instantiam generosi Militis domini Martini Raunacher scribere & publicare de-

berem cuius tenor talis est & sequitur Cum prefatus dominus Martinus ponere fecisset ut moris est ad publicum incantum die XXV mensis instantis aliquas possessiones Ser Castelini de pinsauro & eius uxoris videlicet Muraleas iuxta Suetinam & Muraleam iuxta Petrum glauinich et vineam siue pastinum ad braidam pro certa pecunie quantitate quam dixit se habere debere a dicto Ser Castelino Comparuit contradicens dicto incantui Iudex Vitus quondam Matchi asserensque se prefatam vineam siue pastinum prius se habere in pignus pro ducatis XXVI auri quam dictus dominus Martinus quod et probauit publico Instrumento scripto manu mei notarij infrascripti Comparuit etiam dicto incantui contradicens Iudex Iurchus de dreuenico & dicens prefatam Muraleam positam iuxta petrum glauinich se habere in pignere pro ducatis octo auri iam sunt duo anni uel circa uti probabit testibus fidedignis Vnde prefati domini Capitaneus Iudices & consilium auditis & intellectis omnibus & singulis que dicte partes dicere & allegare voluerunt Christi nomine inuocato a quo cuncta recta et iusta procedunt Iudicia dixerunt terminauerunt & sententiauerunt quod predictus Iudex Vitus cum sit potior in iure primo habere debeat de precio dicte vinee siue pastini ducatos XXVI auri Et similiter prelibatus Iudex Iurchus si probabit illud quod obtulit se probaturus habere debeat de precio dicte Muralee ducatos octo auri Residuum uero valoris siue precij quo plus vendentur dicta vinea & muralea deuenire debeat prefato domino Martino et quod alie muralee predicte posite iuxta Suetinam sint & esse debeant Pignus prefati domini Martini. Hanc sententiam legi ego notarius infrascriptus Coram predicto domino capitaneo Iudice Ambrosio Iudice Vito matronich Iudice Stefano ruseuich Iudice Vito quondam Matchi Iudice Nicolao Iudice Vito barolich Iudice Damiano & Iudice Stefano blasinich Die XXVIII mensis prescripti In Statione suprascripta presentibus testibus Georgio glauinich Iohanne dicto Iagnaç & Blasio cerdone quondam Antonij Quam asseruerunt prout scripta est esse ab ipsis latam & datam.

SENTENTIA CHIRINI SPINÇICH CONTRA IUDICEM NICOLAUM MICOLICH

Die XXVIIII mensis Ianuarij In littore maris ante portam terre Fluminis Sci Viti Nobiles Viri Iudex Ambrosius cresolich et Iudex Vitus matronich ambobus ad presens Iudices dicte terre Fluminis precepe-

runt michi quod scribere deberem qualiter die XXVIII mensis Instantis Coram ipsis Comparuit Chirinus spinçich de Castua petens a Iudice Nicolao micolich ducatos viginti auri quos ducatos viginti dictus Chirinus dicebat prefatum Iudicem Nicolaum ipsi promisisse soluere pro domino Martino Raunacher milite Qui Iudex Nicolaus respondebat quod non recordabatur quod ipse predicto Chirino dictos ducatos promisisse soluere ut supra pro dicto domino Martino videlicet si hoc posset probare cum aliqua persona aut suo affirmare vellet sacramento quod paratus erat soluere et tandem dum prefatus Chirinus scripturam tangeret ut iuraret predictus Iudex Nicolaus dixit nolo quod iuret Quo uiso prefati domini Iudices dixerunt terminauerunt & sententiauerunt quod prelibatus Iudex Nicolaus predicto Chirino soluere debeat pro dicto domino Martino ducatos viginti Imponentes ipsi Iudici Nicolao penam ut eadem die ipsos viginti ducatos predicto Chirino solueret

TESTIFICATIO PRO IUDICE VITO ROSSO

Die secundo mensis Februarij In publica platea terre Fluminis Sci Viti Iudex Maurus Vidonich testis productus per Iudicem Vitum ruberim coram Iudice Vito matronich ad presens honorabile Iudice dicte terre Fluminis in lite que ventilatur Inter dictum Iudicem Vitum ex vna parte et Santum de chino de Iustinopoli ex altera occasione cuiusdam schiauine Lecta ac vulgariçata prefato Iudici Mauro Litera Spectabilis viri domini Andree Leono honorabilis potestatis & capitanei Iustinopolis delato eidem sacramento de veritate dicenda manibus tactis scripturis remotis omnibus sacramento obstantibus Interrogatus a prefato domino quid scit de in dicta litera contentis dixit et testificatus fuit quod scit ac bene recordatur qualiter dum transfretasse a Iustinopoli Venetias cum prelibato Santo dimiserunt in barcha dicti Santi duas Schiauinas quas mutuo acceperant Iustinopoli quarunque vna fuit Iacobi de Guido de Iustinopoli quamque prefatus Iudex Vitus presente ipso teste precepit dicto Santo ut redderet ac designaret dicto Iacobo Et aliud dixit se nescire Super generalibus recte respondit

TESTIFICATIO PRO PRESBITERO VITO SCOLICH & DOMIGNA

Die octauo mensi Februarij In Terra Fluminis Sci Viti In domo infrascripti Marini Stochorich testis presentibus Blasio dicto blasich Agabito contouich

georgio eius fratre Crestolo Silcich Golacio molendinario Mateo de Cregnino grochouaç omnibus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Marinus Stochorich testis productus per presbiterum Vitum scholich & domignam de grobinico in lite quam habent siue habere intendunt cum Prodano Radeni de pago occasione bonorum quondam Matei Drasiçich et examinatus per me notarium infrascriptum de Mandato dominorum Iudicum videlicet Iudicis Ambrosij cresolich & Iudicis Viti matronich dato eidem sacramento de veritate dicenda manibus tactis scripturis Interrogatus a me notario infrascripto si scit que bona fuerunt Matei drasicich dixit & testificatus fuit quod per Sacramentum quod fecit scit ac bene recordatur quod domus quam possidet dictus presbiter Vitus et vallis quam possident prefati presbiter Vitus & domigna et domus in qua habitat predictus Prodanus et muralea iuxta dictam domum & ortus positus in luchi iuxta Iudicem Vitum matronich fuerunt bona suprascripti Matei drasiçich & ipsa semper pacifice possedit tanquam sua Interrogatus si dictus quondam Mateus habet aliquem coniunctum affinem in dicta terra Fluminis dixit et testificatus fuit quod dictus quondam Mateus habuit ex prima vxore vnam filiam nomine Elenam de qua nati sunt pater dicti presbiteri Viti et mater predicti domigne et quod dictus quondam Mateus nullum alium habet affinem nisi prefatos presbiterum Vitum et domignam.

Super generalibus interrogatus recte respondit

TESTIFICATIO PRO SUPRASCRIPTIS

Vltrascriptis die loco ac testibus Iacobus Stenta & Michael obadich testes producti per prefatos presbiterum Vitum scolich & domignam de Grobinico in lite quam habent siue habere intendunt cum suprascripto Prodano occasione bonorum quondam Matei drasiçich et examinati per me notarium infrascriptum de mandato dominorum Iudicum videlicet Iudicis Ambrosij cresolich & Iudicis Viti matronich dato eisdem sacramento de veritate dicenda manibus tactis scripturis Et interrogati a me notario infrascripto per sacramentum quod fecerunt si sciunt que bona fuerunt Matei drasiçich & si aliquem habet affinem in dicta terra Fluminis dixerunt & testificati fuerunt in omnibus & per omnia velut suprascriptus Marinus Stochorich

SENTENTIA MICHELE DE CASTUA

Die XXII mensis Februarij In Terra Fluminis Sci Viti In Monasterio Sci Augustini presentibus Paulo martini radauaçich de Castua Chirino spinçich Iusto vidotich omnibus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Circumspectus ac generosus milles dominus Iohannes Reychenburger capitaneus Diuini et Crassie et Nobilis ac egregius vir dominus Iacobus Raunacher Capitaneus dicte terre Fluminis preceperunt mihi notario infrascripto quatenus scribere deberem qualiter ipsi vna cum Nobili viro domino Iohanne obeynburger Capitaneo premi tanquam arbitri arbitratores & amicabiles compositores electi per Nicolaum poglainich de Castua nomine Iohanne vxoris sue et Michelam matrem marini dragostauich in lite que inter dictas partes ventilabitur occassione bonorum quondam presbiteri Tomine de Castua patris prefate Iohanne dixerunt terminauerunt sententiauerunt & arbitrati fuerunt quod dictus Nicolaus poglainich nomine dicte Iohanne habere debeat medietatem caprarum que nunc inueniuntur Cetera vero bona dicti quondam presbiteri Tomine stare debeant prout terminatum et sentenciatum est a primis arbitris & arbitratoribus Quam sententiam ipsi Laudauerunt & affirmauerunt Imponentes perpetuum scilentium prefato Nicolao nomine dicte Iohanne et prelibate Michele pro omnibus & singulis litibus differentijs & controuersijs quas quomodocunque habuissent simul siue habere potuissent usque ad presentem diem occasione bonorum dicti quondam presbiteri Tomine Et si aliquo tempore aliqua dictarum partium aliquid alteri parti peteret de dictis bonis siue eorum heredes pars petens soluere debeat Magnifico domino nostro libras viginti quinque paruorum et perdat omne & singulum Ius quod haberet in dictis bonis.

SENTENTIA CATERINE DE CASTUA

Vltrascriptis die ac loco presentibus Georgio glauinich Chirino spinçich Paulo mortatich omnibus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Circumspectus ac generosus Milles dominus Iohannes Reychenburger capitaneus Duini et Crassie precepit michi notario infrascripto quatenus scribere deberem qualiter ipse sedens cum Nobilibus & egregijs viris domino Iacobo Raunacher Capitaneo dicte terre Fluminis domino Iohanne obeynburger capitaneo

premi domino Toma elar capitaneo Gotnici rectificauerunt Laudauerunt & confirmauerunt sentenciam latam per dominos Capitaneum Çupanum Iudices & consiliarios Castue in lite quam simul habebant Toncha Clemegna & Catarina vxor Martini Cremaç de Castua Adicientes quod dicta Catarina teneatur ac debeat vineam laborare & in culmo tenere nec possit dicta Catarina prefatam vineam vendere nec alienare Et si contingeret Filium dictorum Iugalium Martini et Catarine mori pars eius deuenire debeat cui de iure pertinebat Et si prefatus Martinus domum rediret quod sit dominus & patronus prout primo fuit. Sequitur sententia quinta sequens que Incipit Die XXX.o mensis Marcij Sub arbore ante portam Castue que ambe ad rem vnam pertinent.

SENTENTIA ÇUPANI FILIPI DE CASTUA & BARBARE QUONDAM DOMINI MATLINI

Die XXIIII mensis Februarij In Terra Fluminis Sci Viti In Monasterio Sci Augustini presentibus Çupano Xauida Marino dragostauich ambobus de Castua Chirino spinçich Valentino Iurlinouich Martino bechario quondam Matei his tribus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Generosus milles dominus Iustus*).... Capitaneus postoine Arbiter arbitrator & amicabilis compositor electus per Nobilem mulierem dominam barberam uxorem quondam domini Maltini de Vragna suo nomine ac nomine & vice domine Catarine matris sue et georgij fratris sui ibidem presentis parte vna et Çupanum Filipum quodam Chirini de Castua parte altera in lite quam simul habebant Occassione vnius vinee posite in districtu Castue in loco qui dicitur pauesechie Xamet in borgudo iuxta dominçich & heredes Vragne dregneuich & viam publicam dixit sententiauit terminauit & arbitratus fuit quod dictus Çupanus Filipus dare & soluere debeat prefate domine Barbare nominibus quibus supra ducatos sexdecim auri videlicet ducatos octo usque ad festum Sci georgij proxime futurum Et alios octo usque ad festum Sci Martini proxime futurum Et quod prefata domina Barbara nominibus quibus supra teneatur & debeat predicto Çupano Filipo dare bonum instrumentum super dicta vinea Ex quo in futurum ipse nec eius heredes valeant aliquid habere impedimentum siue contradictionem Imponens predictis partibus per-

*) Il cognome è lasciato in bianco.

petuum scilentium pro dicta vinea Precipiensque dictis partibus quod omnia et singula suprascripta obseruare attendere & adimplere debeant Sub pena ducatorum decem auri et perdendi omnem & singulum Ius quod haberet pars aliquid petens in dicta vinea Que pena ducatorum decem deuenire debeat prescripto arbitro et arbitratori Pena autem soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta.

SENTENTIA ECCLESIE SANCTE ELENE DE CASTUA

Die XXIIII.to mensis Februarij In Terra Fluminis Sci Viti In Monasterio Sci Augustini presentibus Iudice Vito matronich Iudice Mauro vidonich Iudice Tonsa quondam Ser Nicole omnibus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique generosus ac Circonspectus Milles dominus Iohannes Reychenburger Capitaneus Diuini et Crassie Sedens cum Nobilibus viris domino Iacobo Raunacher Capitaneo dicte terre Fluminis domino Iohanne obeynburger Capitaneo primi dixit terminauit & sententiauit quod Muralea Magna que est posita Castue iuxta Ecclesiam Sce Elene que fuit quondam domini Furchlini sit pro speciali pignere prefate ecclesie sce elene pro marchis quinque et quod officiales dicte Ecclesie possint et valeant prefatam Muraleam ad publicum incantum ponere pro dicti quinque marchis denariorum & ipsam vendere ad incantum hac conditione quod precium quo vendetur prefata Muralea vltra dictas quinque marchas debeat depositari in manibus regiminis Castue quousque decernetur cui de iure deuenire debeat

SENTENTIA PRO ECCLESIE SCI ANDREE DE MUSCHIENIÇA

Vltrascriptis die loco ac testibus prefatus dominus Iohannes sedens ut supra dixit terminauit & sententiauit quod vinea que dicitur ograda que fuit quondam doclegne Argnich de Muschieniça posita in districtu Muschieniçe iuxta vallem que dicitur viasiça ab vno latere A secundo iuxta heredes quondam Çupani Andree a 3.o iuxta Iohannem cacalonich et a quarto iuxta viam publicam sit & esse debeat catedralis Ecclesie Sci Andree de Muschieniça et ad ipsam ecclesiam pleno iure pertineat et non ad aliquam aliam personam et quod dicta ecclesia prefatam vineam possidere valeat pacifice absque contradictione alicuius persone.

SENTENTIA IOHANNIS MARNICH

Vltrascriptis die loco ac testibus Ibique Circumspecti ac generosi millites dominus Iohannes Reychenburger Capitaneus diuini et crassie ac dominus Iustus.... capitaneus postoine Necnon Nobiles & egregij viri dominus Iacobus Raunacher Capitaneus dicte terre Fluminis et dominus Iohannes obeynburger Capitaneus Premi arbitri arbitratores & amicabiles compositores ellecti per Iohannem marnich parte vna et Prouidum virum bartolum misulich et Iacobum eius fratrem in litem quam simul habebant occasione denariorum quos dictus Iohannes tanquam heres presbiteri Iacobi patrui sui petebat a prefatis fratribus tanquam heredibus Iudicis Iohannis patris sui dixerunt terminauerunt & sentenciauerunt .....

SENTENTIA IUDICIS STEFANI RUSEUICH

Die XXVII mensis Marcij In Statione Nicolai micolich coram Spectabili ac generoso viro domino Iacobo Raunacher Capitaneo Iudicibus et consilio terre Fluminis Comparuit Iudex Stefanus ruseuich nomine ac vice Elisabeth uxoris sue petens a Iohanne barlech tanquam gubernatore filij & bonorum quondam dietrici de Sansonia ducatos vigintiquinque auri quos prefatus Dietricus reliquit vnde prefati domini visa dicta petitione ac viso quod in suprascripto testamento sic continetur sententiauerunt quod dictus Iohannes barlech nomine quo supra dare debeat dicto Iudici Stefano nomine quo supra ducatos vigintiquinque. Precipientes mihi quod dicto Iudici Stefano soluam suprascriptos ducatos super affictu domus in qua habito

SENTENTIA PRO CATARINA UXORE MARTINI CREMAÇ

Die XXX mensis Marcij Sub arbore ante portam Castue Infrascripti domini videlicet Nobilis Vir Bartolus Misuli Capitaneus Castue Çupanus Xauida Çupanus Iohannes Sormich Çupanus Volcina schontrich Çupanus Filipus quondam Chirini Iudex Iacobus dictus Iachuç Iudex Antonius furchlinouich Iudex Iustus mladenich Iudex Iacobus Stepcouich omnes consiliarij Castue retulerunt mihi notario infrascripto qualiter vineam suprascriptam positam in Burgudo sentenciauerunt esse suprascripti Martini Cremaç et ad ipsum pertinere quod prefatus Martinus tempore Çupanatus Çupani Marci marçeie probauit coram Iudicio & consilio Castue qualiter ipse

emerat prescriptam vineam a clemente patre suo de voluntate & consensus Tonche uxoris prefati clementis e matris predicti Martini Cremaç.

SENTENTIA CHIRINI SPINÇICH & MARINI DRAGOSLAUICH

Die XXVIIII mensis Maij In Terra Fluminis Sci Viti In Statione Iudicis Nicolai micolich presentibus Iudice Vito matronich Grisano quondam Iudicis Martini testibus ad hec uocatis & rogatis ac alijs Ibique Nobiles & egregij viri dominus Iacobus Raunacher Capitaneus predicte terre Fluminis dominus Iohannes obeynburger Capitaneus premi Ser Petrus Beli capitaneus Castue Iudex Maurus vidonich Iudex Nicolaus micolich arbitri arbitratores & amicabiles compositores electi per Chirinum spinçich de Castua parte vna et Marinum dragoslauich de Castua parte altera in omnibus & singulis litibus differentijs & controuersijs quos quomodocunque haberent siue habere potuissent simul usque ad presentem diem quacunque ex causa dixerunt terminauerunt et sententiauerunt quod calculus siue saldus rationum factus inter dictos Chirinum & Marinum de Anno instanti de mense Ianuarij proxime preterito sit firmus et ratus Item quod possessiones dicti Marini que remanserant prefato Chirino ad publicum incantum Castue sint & esse debeant in eo statu in quo erant et sunt ad presens in manibus dicti Chirini si et in quantum dictus Marinus denarios pro quibus dicte possessiones fuerunt incantate non dederit predicto Chirino usque ad Festum Sci Michaelis de mense septembris proxime futuri

SENTENTIA IOHANNIS MATIUICIJ CONTRA IUDICEM MATEUM

Die XVIII mensis Augusti In Terra Fluminis Sci Viti In Statione Iudicis Nicolai micolich Coram generoso viro domino Iacobo Raunacher Capitaneo Iudicibus & consilio dicte terre Fluminis Comparuit Iohannes Matiucij Dominici de Firmo petens Iudice Mateo quondam Ser donati vigore vnius Instrumenti scripti manu mei notarij infrascripti 1444 Indictione VII die quinto mensis Iulij ducatos CLXXVI auri pro vndecim milliarijs ferri ex qua ferri quantitate decem milliaria et libre trecente ferri fuerunt onerata in Charachia Nucij Antonij de ortona accepta ante terram Fluminis pro Bergantinum Illustris Comitis Francisci Sfortie Qui Iudex Ma-

teus respondebat quod Bartolomeo fratri dicti Iohannis iam dederat Milliaria decem et libras trecentas ferri iuxta terminationem generosi millitis domini Iohannis reichenburger vicedomini Magnifici domini de Valse Et quod prefato Iohanni restabat dare libras septingentas ferri solummodo quas libenter dare volebat Qui Iohannes respondebat & nolebat ferrum sed promptam pecuniam cum sit quod ipse vendiderit suprascriptam ferri quantitatem pro ducatis sexdecim auri pro singulo milliario et pro ipso soluerat dacium prout constat Instrumento scripto manu mei notarij infrascripti Anno domini MCCCCXXXXIII Indictione sexta Die XVIIII mensis Iulij Vnde suprascripti dominus Capitaneus Iudices & consilium auditis & intellectis omnibus & singulis que dicte partes dicere & allegare voluerunt considerantes quod prescripte libre septingente ferri quas predictus Iudex Mateus dicebat se dare debere prefato Iohanni non fuerunt onerate in suprascripta Charachia sed ipse Iudex Mateus ipsas libras VII.c conuersus fuerat in suum vsum Christi nomine inuocato a quo cuncta recta procedunt Iudicia dixerunt terminauerunt & sententiauerunt quod prefatus Iudex Mateus soluere debeat dictas septincentas libras ferri in ratione ducatorum XVIcim auri pro Milliario*).

Anno 1446

IN Christi nomine amen Anno natiuitatis eiusdem Millesimo quadringentessimo quadragessimo sexto Indictione nona

ABSOLUTIO DRAGE DE CASTUA

Die XXIII mensis Maij Castue in Palatio Magnifici domini nostri Nobilis uir dominus Petrus Belli capitaneus Çupanus Iohannes Sorsnich Stefanus Sonchulin ad presens Iudex Çupanus Volcina Schontrich Çupanus Filipus quondam Chirini Çupanus Sauida Iudex Iacucius Iudex Iustus mladenich

*) Cancellato con in margine la nota: «1449 die tercio mensis Augusti cancelata fuit suprascripta sententia eo quod Bartolomeus Matiucij de Firmo fuit contentus & confessus sibi integre fuisse solutum & satisfactum pro contrascriptis libris septingentis ferri presentibus Valentino Iurlinouich Grisano stacionario & Blasio cerdone quondam Antonij testibus ad hec uocatis & rogatis — Ego Antonius cancellarius scripsi».

Iudex Iacobus stepcouich Mateus rançich omnes consiliarij Castue sedentes pro tribunali absoluerunt et absolutam reddiderunt Dragam filiam quondam Matei schoph a petitione quam presbiteri Marci radolich et aliorum affinium quondam.... olim uxoris dicti quondam Matei schop petentium dictam Dragam tanquam fideiutricem dicti quondam patris sui pro ouibus centum et quinque atque usufructibus eo quod prefati domini adiudicauerunt ipsam non amplius esse fideiutricem cum post fideiussionem ab ipsa factam predicti presbiter Marcus & alij affines spernentes prefatam fideiussionem prefatum quondam Mateum posuerunt ad carceres & in carceribus posuerunt.

PRESENTATIO CUIUSDAM INSTRUMENTI DOTIS IUDICIS ANTONIJ FURCLINOUICH DE CASTUA

Eadem die et hora Coram suprascriptis Capitaneo Çupano ceterisque consiliarijs sedentibus ut supra presentauit vnum Instrumentum publicum aliquorum pactorum & dotis scriptum manu quondam Ser Bernardi quondam henrici de Ratispona notarij et tunc Cancelarij Castue anno domini 1418 Indictione vndecima die XXIIII mensis Augusti dicens quod intendit & esse debet vigore ipsius Instrumenti dotis prior ac potior in iure supra bonis dicti quondam Matei schop cum sit prior in tempore quam prefati presbiter Marcus et affines dicte quondam olim uxoris dict' Matei schop.

SENTENTIA PRO AFFINIBUS OLIM UXORIS SCHOP

Eadem die et hora coram suprascriptis domino Capitaneo Çupano Iudice et consiliarijs sedentibus pro tribunali in palatio Magnifici domini nostri Comparuit presbiter Marcus radolich et eius fratre ac complures alij affines quondam....*) olim uxoris Matei schop petentes quod ipsis darent libertatem in Bonis quondam Matei schop vigore sententie quam ab ipsis dominis obtinuerunt aduersus dictum quondam Mateum schop pro ouibus centum et quinque et earum usufructibus non obstante in aliquo Instrumento dotis producto coram ipsis dominis per Iudicem Antonium Furchlinouich eo quod dictus Iudex Antonius cum fuerit aduocatus dicti quondam Matei ipso viuente non produxit

*) Manca il nome.

ipsum Instrumentum vnde prefati domini Audita petitione suprascripta ac etiam responsione prelibati Iudicis Antonij Christi nomine inuocato a quo cuncta recta procedunt Iudicia dixerunt terminauerunt & sententiauerunt quod predicti presbiter Marcus fratres et affines omnia & singula Bona dicti quondam Matei schop posita Castue et in eius districtu possint & valeant intromittere ac vendere facere secundum consuetudinem Castue Eo quod quando dictus quondam schop dedit suprascriptis prescripta Bona pro pignere & ipsa obligauit dictus Iudex Antonius fuit presens & non contradixit.

ABSOLUTIO IUDICIS ANTONIJ FURCHLINOUICH DE CASTUA

Die XXIII mensis Maij Nobilis vir dominus Petrus Belli Capitaneus Çupanus Iohannes Sormich et Stefanus Sonchulin tunc Iudex et alij consiliarij Castue sedentes pro tribunali ut supra absoluerunt et absolutum reddiderunt Iudicem Antonium Furchlinouich a petitione presbiteri Marci radolich et aliorum affinium quondam.... uxoris olim Matei schop petentium vigore suprascripte sententie ab ipso Iudice Antonio vnum equum quem dicebant fuisse dicti quondam Matei schop eo quod de voluntate ipsorum datum fuit sacramentum ipsi Iudici Antonio pro dicto equo quem ipse dicebat fore suum qui coram suprascriptis dominis Iurauit quod ipsum equum prius emerat et quod ipsum dicto quondam Mateo schop non vendiderat neque donauerat nec pro aliquo debito dederat

SENTENTIA FRATENITATIS SCI IOHANNIS

Die XXVI mensis Maij In publica platea terre Fluminis Sci Viti presentibus Adam Antonij de Firmo Iudice Iurcho de Dreuenico Ser Castelino de Pisauro Magistro Antonio muratore de pisauro testibus ad hec uocatis & rogatis Ibique Coram Nobilibus viris Iudice Mateo quondam Ser donati Iudice Nicolao micolich Iudice Vito matronich constituti Chirinus spinçich Martinus Crusua Gerdina prasich Vitus Crestonich omnes de Castua arbitri arbitratores & amicabiles compositores electi per Nicolaum repeglia gastaldionem fraternitatis Sci Iohannis & eius socios parte vna agentes et Martinum radolich parte altera se defendentem in lite siue differentia que vertitur inter dictas partes occasione aliquorum sexaginta animalium bellatinorum que dictus Martinus diu habuit a dicta Fraternitate Sci Iohannis ac tenuit

et pro eorum usufructibus dixerunt terminauerunt sententiauerunt & arbitrati fuerunt quod pro duodecim annis quibus dictus Martinus tenuit suprascripta animalia ultra septem annos quibus ipsi data fuerunt ad medietatem ipse Martinus per totam diem Crastinam dare et consignare debeat prefato Gastaldioni et eius socijs recipientibus nomine dicte fraternitatis animalia magna bellatina quadraginta septem de suis animalibus prout veniant sub virga X. videlicet si qua veniet cum agno aut edo qui edus siue agnus sit dicte fraternitatis et non computetur in numero suprascripto videlicet quod cum dictis quadragintaseptem animalibus prefata Fraternitas habeat animalia magna bellatinas sexaginta computatis tresdecim animalibus que dictus Martinus primo dedit dictis gastaldioni & socijs Intelligendo tamen quod in porta quando dabuntur suprascripta animalia nullus sedere debeat qui est ex aliqua parte ipsorum videlicet qui alicui parti sit suspectus Item quod predictus Martinus dare et soluere teneatur prefati Gastaldionis dicte Fraternitatis & eius socijs libras centum paruorum pro usufructibus duodecim annorum pro suprascriptis animalibus sexaginta per terminos infrascriptos videlicet singulo anno duas marchas in festo dedicationis Sci Michaelis usque ad quinque annos et in sexto anno libras viginti precipientes dicti arbitri arbitratores & amicabiles compositores suprascriptis partibus quod omnia & singula suprascripta debeant attendere obseruare et adimplere Sub pena librarum trecentorum paruorum diuidendarum hoc modo videlicet quod Tercia pars sit dominij per quod cogetur pars contrafaciens adimplendum & obseruandum suprascripta Tercia pars parti obseruanti et parenti Et altera tercia pars suprascriptis arbitris arbitratoribus & amicabilibus compositoribus. Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta.

COMPROMISSUM GEORGIJ MORGANICH ET VALENTINI IURCLINOUICH

Die XIII mensis Marcij In Terra Fluminis Sci Viti In Statione Iudicis Nicolai micolich presentibus Iudice Vito quondam Ser Matchi Tomasino de caldana de Vegla Teodoro quondam Dominici omnibus habitatoribus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis Ibique Cum verteretur lis et differentia inter Georgium Flori de Iadra tanquam procurator Nobili viri Ser Georgij morganich parte vna agentem et Valentinum Iurlinouich parte altera se defendentem

occasione Stube quam possidebat Iudex Damianus quondam Matei et que deliberata fuit ipsi Valentino ad publicum incantum pro libris trigintaquatuor et solidos quatuor paruorum & expensis volentes parcere laboribus et expensis sponte promiserunt et compromiserunt tam de iure quam de facto comuniter & concorditer in prouidos viros Iudicem Maurum vidonich & Iudicem Nicolaum micolich suprascriptum tanquam in arbitros arbitratores & amicabiles compositores dispensatores & bonos viros Promittentes prefatus Georgius nomine quo supra et predictus Valentinus vnus alteri vicissim solemnibus stipullationibus hinc inde interuenientibus stare parere obedire & non contrafacere uel venire per se uel alios aliqua ratione causa uel ingenio de iure uel de facto omni et singule sententie laudo arbitrio terminationi diffinitioni & pronunciationi que uel quas prefati arbitri arbitratores & amicabiles compositores dixerint fecerint pronunciauerint diffiniuerint sententiauerint terminauerint siue arbitrati fuerint cum scriptura uel sine et quomodocunque quandocunque qualitercunque & vbicunque cum iuris cognitione & solemnitate uel sine partibus presentibus uel absentibus citatis & non citatis Sub pena ducatorum septuagintaquinque auri cuius pene tercia pars sit & esse debeat comunis dicte terre Fluminis tercia pars suprascriptorum arbitrorum et arbitratorum et tercia pars partis obseruantis et parentis Sententie laudo arbitrio & terminationi que uel quas prefati arbitri & arbitratores dixerint fecerint sententiauerint siue terminauerint Qua pena soluta uel non rata maneant omnia & singula suprascripta omni et singula exceptione cessante penitus et remota.

SENTENTIA GEORGIJ MORGANICH & VALENTINI IURLINOUICH

Vltrascriptis die loco ac testibus prefati arbitri arbitratores amicabiles compositores dispensatores et boni uiri electi per Ser Georgium Flori de Iadra tanquam procuratorem Nobilis Viri Ser Georgij morganich parte vna & Valentinum Iurlinouich parte altera uti constat Instrumento compromissi scripto manu mei notarij anno die ac mense prescriptis dixerunt sententiauerunt & arbitrati fuerunt quod prefatus georgius nomine quo supra dare et soluere teneatur predicto Valentino medietatem librarum triginta quatuor et solidorum quatuor hoc est libras decem et septem et soldos duos et similiter medietatem omnium & singularum expensarum que oc-

currerunt in incantu hoc est solidos decem et octo Et quod Stuba quam olim possidebat Iudex Damianus queque deliberata fuerat prelibato Valentino ad publicum incantum sit et esse debeat prefati georgij nomine quo supra cum omnibus iuribus habentijs & pertinentijs suis precipientes dicti Arbitri arbitratores & amicabiles compositores suprascriptis partibus quod omnia & singula suprascripta attendere obseruare et adimplere debeant sub pena in suprascripto compromissi instrumento contenta diuidenda prout in eodem Instrumento continetur. Qua pena soluta uel non rata maneant omnia et singula suprascripta Quas quidem pecunie quantitates videlicet libras XX.ti predictus Georgius coram testibus suprascriptis illico dedit et numerauit suprascripto Valentino.

Anno 1450

SENTENTIA SER BARTOLI MATEIEUICH

IN Christi nomine amen Anno natiuitatis eiusdem MCCCCL Indictione XIII Die vigessimo septimo mensis Iunij Iudex Maurus vidonich Iudex Tonsa quondam Ser Nicole Iudex Iurchus de Dreuenico missi per Regimen Terre Fluminis Sci Viti ad prouidendum et indicandum differentia que ventillabatur Inter Ser Bartolum mateieuich et Aggabitum diraçich pro via quam dicebat dictus Ser Bartolus habere per vineam dicti Agabiti auditis attestationibus Çupani Brateglie Çedogne de Valprinacio Mussine de Castua Simonis oslich et Teodori quondam Dominici qui dixerunt & testificati fuerunt qualiter non recordantur aliquo tempore quod fuisse via ad tigurium vinee dicti Ser Bartoli eundo a mari ad dictum tigurium nisi per vineam Aggabiti superiorem ante Tigurium Grisani tonchouich quod fuit Martini grubich dixerunt terminauerunt & sententiauerunt vigore libertatis ipsis concesse quod vinea dicti Ser Bartoli incipiendo a tigurio dicte vinee habere debeat viam per vineam seperiorem dicti aggabiti ante tigurium Grisani tonchouich inter dictum tigurium et aliquas arbores castaneas usque ad mare.

Anno 1454

SENTENTIA GEORGIJ QUONDAM PRESBITERI SIMONIS

IN Christi nomine amen Anno natiuitatis eiusdem MCCCCLIIII Indictione secunda Die XI mensis Ianuarij

presentibus testibus Simeone Maurich Blasio cerdone quondam Antonij Georgio contouich Coram Spectabili ac generoso viro domino Andrea de Foramine Capitaneo Iudicibus et consilio Terre Fluminis Sci Viti sedentibus pro tribunali in Lobia comunis comparuit Georgius quondam presbiteri Simonis asserens & dicens qualiter sunt anni duodecim uel circa tempore capitaneatus Spectabilis viri Iacobi Raunacher & Iudicatus Iudicis Mauri vidonich & Iudicis Viti barulich cum verteretur lis & differentia inter Dragam uxorem Martini radauich de Castua parte vna petentem et quondam Malgaritam tanquam auam dicti Georgij suo nomine & tanquam gubernatricem dicti Georgij occasione nonnullorum bonorum & maxime bonorum quondam prefati presbiteri Simonis Lata fuit Sententia per Regimen dicte Terre Fluminis in Barbachano in fauorem ipsius Georgij Ideo supplicabat suprascripto domino Capitaneo Iudicibus et consilio quatenus infrascriptos testes ipsorum testificationes scribere & publicare deberem ad cautellam et defensionem iurium dicti Georgij Qui dominus Capitaneus Iudices et consilium audita & intelecta suprascripta supplicatione & considerantes ipsam fore iustam illico mandauerunt mihi notario infrascripto quod infrascriptas testificationes scribere & pubblicare deberem ad petitionem prefati Georgij.

Iudex Maurus vidonich testis productus per prefatum Georgium et a dicto domino Capitaneo interrogatus per iuramentum quod fecit Illustribus dominis nostris et Comuni dicte terre Fluminis interrogatus quid scit de contentis in suprascripta supplicatione dixit et testificatis fuit qualiter potest esse anni duodecim uel circa quod Sedentibus in Barbachano dicte terre Fluminis quondam Spectabili viro domino Iacobo Raunacher tunc capitaneo ipso teste tunc existente iudice cum Iudice Vito barulich ac alijs consiliarijs dicte terre Fluminis Comparuit Draga uxor Martini radauich de Castua petens a Malgarita Tonça suo nomine & tanquam gubernatrice prelibati Georgij nonnulla bona et presertim bona quondam presbiteri Simonis eius fratris & patris dicti Georgij eo quod dictus presbiter Simon mortuus fuisset ab intestato et ipsa Draga tanquam propinquior succedere debebat & multa alia verba dicens vnde suprascripti quondam dominus Capitaneus Iudices & consiliarij dicte terre Fluminis audita petitione pretacte Drage et Responsione predicte Malgarite Sententiauerunt & terminauerunt quod omnia & singula bona dicti quondam presbiteri Simonis et que quomodocunque ipsi specta-

bant & pertinebant siue spectare & pertinere quomodocunque poterant essent et esse deberent dicti Georgij filij quondam prefati presbiteri Simonis tanquam propinquioris & de ipsis suam omnimodam facere valeret voluntatem tanquam de rebus proprijs eo quod consuetudo dicte terre Fluminis approbata & semper obseruata talis fuit & est videlicet quod deficientibus uel non existentibus filijs aut filiabus ex legitimo matrimonio procreatis filij et filie ex illicito & damnato coitu procreati patri intestato et similiter matri intestate succedant cum nullus sit propinquior patri aut matri quam filius et filia cum sint eorum sanguis interrogatus de die aut mense respondit se non recordari

Eadem die & hora Iudex Vitus barulich testis productus per prelibatum Georgium et a suprascripto domino Capitaneo interrogatus per iuramentum quod fecit illustribus dominis nostris et Comuni dicte Terre Fluminis quid scit de contentis in suprascripta supplicatione dixit & testificatus fuit in omnibus et per omnia sicut supradictus Iudex Maurus Vidonich

Eadem die et hora Iudex Vitus quondam Ser Matchi testis productus per dictum Georgium et a prescripto domino Andrea capitaneo interrogatus per iuramentum quod fecit Illustribus dominis nostris et Comuni dicte Terre Fluminis quid scit de contentis in vltrascripta supplicatione dicti Georgij dixit & testificatus fuit in omnibus & per omnia sicuti suprascriptus Iudex Maurus Vidonich

Eadem die et hora Iudex Stefanus blasinich testis productus per predictum Georgium et interrogatus a suprascripto domino capitaneo per iuramentum quod fecit Illustribus dominis nostris & Comuni dicte Terre Fluminis quid scit de contentis in vltrascripta supplicatione dixit & testificatus fuit in omnibus & per omnia velut prescriptus Iudex Maurus Vidonich

Eadem die & hora Iudex Tonsa quondam Ser Nicole testis productus per prefatum Georgium et per iuramentum quod fecit Illustribus dominis nostris & Comuni predicte Terre Fluminis et interrogatus a suprascripto domino Andrea Capitaneo quid scit de contentis in prescripta supplicatione dixit & testificatus fuit in omnibus & per omnia veluti suprascriptus Iudex Maurus Vidonich

Die secundo mensis decembris In Lobia terre Fluminis Sci Viti presentibus Agabito diraçich & Blasio bechario ambobus ci uibus dicte terre Fluminis testibus ad hec uocatis & rogatis Ibi que Cum Georgius de Iadra habitator Ancone ....

Anno 1457

SENTENTIA GULIELMI DE BONONIA

IN Christi nomine amen Anno natiuitatis eiusdem MCCCCLVII Indictione quinta Die nono mensis Iunij Spectabilis ac generosus Vir Dominus Andreas de Foramine Capitaneus Ser Vitus barulich Ser Georgius ruseuich ad presens Iudices Iudex Vitus quondam Ser Matchi Iudex Maurus Vidonich Iudex Stefanus blasinich Iudex Tonsa quondam Ser Nicole Iudex Mateus quondam Ser Donati Iudex Iacobus micolich Ser Grisanus quondam Iudicis Martini de Pago Ser Simeon Maurich omnes consiliarij terre Fluminis Sci Viti sedentes pro tribunali in Lobia dicte terre Fluminis audita supplicatione iusta Georgij Rainaldi de Todo habitatoris Iadre qui petebat a prefatis dominis quod Sententiam per ipsos dominos latam in fauorem Gulielmi Francisci de bononia de anno domini MCCCCLIIII Indictione prima occassione vnius depositi librarum nonaginta aduersus Nicolaum Tomasini de Vegla ipsi daretur in publicam formam vt valeat vti iuribus suis preceperunt mihi Antonio notario infrascripto & tunc Cancelario dicte terre Fluminis quod scribere deberem sententiam & publicare quam predictus Georgius petit.... videlicet quod postquam georgius rainaldi suprascriptus fuisset ad requisitionem dicti Nicolai Tomasini captus & detentus per capitaneum castri Cersati tanquam rerum gestor prefati Gulielmi & arripuisset fugam de dicto Castro Cersati & venisset ad dictam terram Fluminis prescriptus Nicolaus Tomasini querebat toto posse quod dictus Georgius tanquam rerum gestor predicti Gulielmi ipsi Nicolao satisfaceret pro damno expensis & interesse que et quas ipse Nicolaus passus fuerat pro quodam mercato lignaminum facto inter pretactos Gulielmum & Tomasinum uti contsat quodam cirographo scripto manu Ser Johannis quondam Donati de calcina notarij Iadre anno domini 1453 Die XXX mensis Aprilis Qui Georgius ob timorem depositauit coram testibus fidedignis in manibus mei notarij infrascripti libras nonaginta paruorum usque

ad iuris cognitionem Quam ob causam prescriptus Gulielmus de anno domini 1453 Indictione prima dicti mensis Iulij circa festum beate Malgarite Virginis comparuit coram suprascriptis dominis sedentibus pro tribunali in dicta terra Fluminis in Statione Rafaelis de Fossambruno suplicans suprascriptas libras 90 depositatas ut supra sibi dari presente predicto Nicolao Tomasini Vnde prefati domini audita & intellecta petitione predicti Nicolai Tomasini petentis dictum Gulielmum sententiari & cogi ad soluendum sibi damna interesse & expensas ut supra pro quibus dicte L 90 fuerant depositate & responsione dicti Gulielmi dixerunt terminauerunt & per Sententiam diffinitiuam absoluerunt predictum Gulielmum a petitione prefati Nicolai Tomasini tanquam iniusta Insuper precipientes mihi notario infrascripto quod dictas L 90 apud me notarium depositatas predicto Gulielmo darem & consignarem.

DB 879 F5G48 v.1 pt.2

Gigante, Silvino
Libri del cancelliere

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 14 29 11 09 014 5